History of Greek Philosophy

no. 1

PLATONIS
DE ANTIQUISSIMA PHILOSOPHIA TESTIMONIA.

COMMENTATIO ACADEMICA.

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
IN PUBLICO DEFENDET

A. J. af SILLÉN
Lic. Phil. Nat. Vestmanno-Dalec.

IN AUDIT. GUSTAV. MINORE KAL. DECEMBR. MDCCCLXXX

H. A. M. S.

UPSALIÆ
TYPIS DESCRIPSIT ED. BERLING
MDCCCLXXX.

Philosophorum, qui ante Socratis ætatem vigebant, scripta remanent nulla. Exstant fragmenta: quibus tamen qui utitur sæpius ignorat, qua continuatione quaque rerum serie verba, quæ afferuntur, ipsi posuerint auctores — etiamsi pro certo habere possit ad verbum esse expressa, quod non semper factum esse constat. In qua primariorum fontium inopia maximi esse momenti apparet quos secundarios liceat fontes appellare: testimonia dico posteriorum. Primus de antiquissima philosophia Plato testis est. Cuius ut de philosophis, qui ante sophistarum ætatem vixerunt [1]), testimonia afferremus ostenderemusque antiquam illam philosophiam quomodo exponeret atque iudicaret, nobis, hanc commentationem quum scriberemus, proposuimus.

Perdifficilem quæstionem: quæ sint vera Platonis scripta atque genuina, hoc quidem loco non movebimus: satis erit exposuisse, quibus dialogis ut genuinis fontibus usi simus, quosque hac in re auctores sequamur. Primum omnium dialogos excludamus, in quibus philosophi, qui ante sophistarum vigebant ætatem, nusquam respiciuntur. Sunt autem illi: Alcibiades II, Charmides, Clitopho, Critias, Crito, Eutyphro, Epistolæ (VII, VIII), Epinomis, Anterastæ, Hipparchus, Hippias Minor, Io, Menexenus, Mino, Theages. Segregatis iis quoque, quos iam damnavit antiquitas, supersunt: De Republica, Timæus, Leges, Phædo, Phædrus,

---

1) Platonis de sophistis testimonia contulit M. Schantz: »Beiträge zur vorsokratischen Philosophie aus Plato: Die Sophisten». Gotting. 1867.

Symposium, Meno, Gorgias, Theætetus, Philebus, Sophista, Politicus, Apologia, Lysis, Laches, Euthydemus, Protagoras, Cratylus, Parmenides, Alcibiades I, Hippias Maior. Gravissimus de scriptorum Platonicorum integritate atque auctoritate Aristoteles testis est. Cuius testimonia collegit Überweg [1]) exposuitque accuratissime, ad quem aut veritatis aut verisimilitudinis gradum liceret in cuiusque dialogi fide iudicanda pervenire. Collatis et inter se comparatis Aristotelis ceterorumque testimoniis Überweg vere Platonica esse censet: De Republica, Timæum, Leges, Phædonem, Phædrum, Symposium, Menonem, Gorgiam, Theætetum, Philebum. Veri simile censet esse a Platone esse scriptos: Sophistam, Politicum, Apologiam, Lysin, Lachetem, Euthydemum, Protagoram, Cratylum. Supersunt Parmenides, Alcibiades I, Hippias Maior, quorum auctoritatem Thrasylli testimonio haud satis firmatam esse credit. Zeller autem, cur Parmenidem genuinum esse statueremus, attulit [2]) rationem: priorem enim huius dialogi partem esse prope ad verbum expressam in Philebo: [3]) quæ causa gravior esse videtur quam quibus Überweg [4]) dialogi auctoritatem infringere conatur [5]). — Hippiæ Maioris fidem Aristoteles valde dubiam reddidit: ita enim loquitur, ut eum appareat unum modo dialogum cognovisse Hippiæ nomine notatum: scribit enim Metaph. IV. 29: *διὸ ὁ ἐν τῷ Ἱππίᾳ*

1) Untersuchungen über die Echtheit und Zeitfolge Platonischer Schriften. Viennæ 1861.

2) Platonische Studien p. 194. Philosophe der Griechen ed. IV. I. p. 404 n. 2.

3) Cfr Phileb. 14 C sqq.

4) l. c. p. 176 sqq.

5) Cfr Teichmüller: Die Platonische Frage, Gothæ 1876, pagg. 118—124.

λόγος . . . κτλ., *Minorem* Hippiam respiciens [1]. Alcibiadem I subditum esse Ribbing [2] effecit. — Rationem, qua Schaarschmidt aliique efficere voluerunt, Sophistam, Philebum, Parmenidem cet. subditicios esse, ne breviter quidem attingemus: satis habebimus Zelleri verba posuisse: [3] »Wenn eine Kritik der Platonischen Schriftsammlung von Voraussetzungen ausgeht, welche sie nöthigen würden einer ganzen Reihe von Werken, die Aristoteles anerkennt, die Aechtheit abzusprechen, so genügt schon dieser Eine Umstand um die Unrichtigheit jener Voraussetzungen zu beweisen». Dialogos, quos pro genuinis accipimus, certum aut veri simile est ab Aristotele pro Platonicis esse acceptos: certum igitur est aut veri simile Platonicos esse: hæc enim una probandi ratio rerum fide, non coniectura ingeniosa nititur [4]. Sunt igitur, quos genuinos esse censemus, quibusque utemur fontibus, dialogi: De Republica, Timæus, Leges, Phædo, Phædrus, Symposium, Meno, Gorgias, Theætetus, Philebus, Sophista, Politicus, Apologia, Lysis, Laches, Euthydemus, Protagoras, Cratylus, Parmenides.

---

1) Ribbing: Genetisk framställning af Platos idélära, pag. 458 sqq dialogum subditicium esse probavit. Schleiermacher: Plat. WW. II. 3. pag. 407 dubitare se confessus, num veri simile sit Platonem »bis Hippiam lusisse», Minorem Hippiam subditicium esse statuit, quod Aristotelis testimonio refellitur.

2) Genet. framst. pag. 462 sqq.

3) Phil. d. Griech. II. 1. p. 406, ed. III.

4) Aristotelis auctoritatem minime respexisse, qui corpus Platonicum suis et propriis rationibus usi refingendum susceperunt, ex eo apparet, quod dialogus omnium maxime vexatus — Leges dico — est idem testimoniis Aristoteleis tam claris tamque manifestis firmatus, ut ne suspicio quidem moveri posse videatur — velut Pol. II. 4: *Πλάτων δὲ τοὺς Νόμους γράφων*, ibid. II. 6: *ὅπερ καὶ Πλάτων ἐν τοῖς Νόμοις ἐπιτετίμηκεν.*

Plato suam de philosophiæ primordiis sententiam non aperit: quando philosophia mythorum involucro spreto nata sit, quis primus morali veterum sapientium ratione civilibusque studiis relictis in rerum contemplatione versatus sit, nusquam significat. Quantum inter se differant sapientes illi, qui nondum ad philosophiam pervenerunt, et antiquissimi philosophi, nullo verbo indicat. Neque mirari licet, quod minus sæpe antiquissimam illam philosophiam respicit, quam ut impugnaret, non adducebatur.

Thaletem »septem sapientibus» annumerat [1]) comparatque cum Biante, Pittaco, Anacharside! De vita eius pauca affert: Mileti natum [2]), sapientem fuisse virum et sagacem [3]).

Rationem vero et disciplinam Thaletis nusquam respicit. Videtur enim — qua in re tota eum antiquitas secuta est — Thaletem quasi specimen perfectæ sapientiæ depingere, ipse vero Milesius, quæ fecerit senseritque, non exponere. Velut Theæt. 174 A. fabellam refert nobilem: Thaletem speciem candoremque coeli quum contemplaretur — *ἀστρονομοῦντα καὶ ἄνω βλέποντα* — in puteum prolapsum obiurgasse servam quandam, quod arcana et recondita erueret, quæ ante oculos essent, non videret. Fabellam Plato amplificat ornatque ut elegans evadat allegoria, in qua Thales philosophum huius mundi ignarum agit.

Anaximandrum Plato nusquam commemorat. Ne gravissimum quidem eius decretum de rerum principio infinito

---

1) Septem illos Protag. 342 D sqq. enumerat: Thaletem, Pittacum, Bianta, Solonem, Cleobulum, Mysonem, Chilonem. Ratione loquendi dicuntur usi pressa atque adstricta. Effata affert Plato: *γνῶθι σαυτὸν* et *μηδὲν ἄγαν*. — Sæpissime nominat Solonem, sive leges ab eo latas — velut Leg. 913 C. 959 E. — sive carmina respicit — velut Rep. 536 D.

2) Protag. 343 A. Rep. 600 A.

3) Rep. 600 A.

respicit. Singula quædam Anaximandri disciplinæ respicere videtur: nec vero pro certo affirmaverim Anaximandrum iis locis significari: dubium est, universe quæ significat Plato, quo tendant quemque respiciant[1]). Neque *Anaximenes* nominatur, quæque de ratione eius significare Plato videtur, non minus dubia sunt, quam quæ Anaxi-

1) Quum Soph. 243 B legimus: *ὅταν τις αὐτῶν φθέγξηται λέγων, ὡς ἔστιν ἢ γέγονεν ἢ γίγνεται πολλὰ ἢ ἓν ἢ δύο, καὶ θερμὸν αὖ ψυχρῷ συγκεραννύμενον . . . . κτλ.* et Tim. 46 D: *δοξάζεται δὲ ὑπὸ τῶν πλείστων οὐ ξυναίτια ἀλλ' αἴτια εἶναι τῶν πάντων ψύχοντα καὶ θερμαίνοντα, πηγνύντα τε καὶ διαχέοντα . . . . κτλ.*, coniicere licet Anaximandrum respici. Ille enim docuisse fertur ex principii infinitate primum emanasse »calidum et gelidum». *θερμὸν καὶ φυχρόν* — cfr Simplic. Phys. fol. 32 b: *ἐνούσας γὰρ τὰς ἐναντιότητας ἐν τῷ ὑποκειμένῳ ἀπείρῳ, ὄντι δὲ σώματι, ἐκκρίνεσθαί φησιν Ἀναξίμανδρος . . . . ἐναντιότητες δέ εἰσι θερμὸν ψυχρόν, ξηρὸν ὑγρὸν καὶ αἱ ἄλλαι.* Ubi Zellerum conferas, qui Phil. d. Griech. I. 205 n. 1 hoc modo disputat: »dass A., wie man gewöhnlich annimmt, neben dem Kalten und Warmen auch das Trockene und Feuchte unter den ursprünglichen Gegensätzen aufgezählt habe, sagt Simplicius nicht, sondern er selbst giebt aus der Aristotelischen Lehre diese Erklärung der *ἐναντιότητες*». Unam igitur Anaximander *ἐναντιότητα*, contrarietatem dicere liceat, ex infinito illo natam esse voluit, eamque esse calidi et gelidi contrarietatem, *τὴν τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ θερμοῦ ἐναντιότητα.* Cfr Plutarch. ap. Euseb. Præp. Evang. I. 8. *φησὶ δὲ ἐκ τοῦ ἀϊδίου γονίμου θερμόν τε καὶ ψυχρόν* (vulgo: *γόνιμον θερμοῦ τε καὶ ψυχροῦ*, cfr Mullach. Fragmenta Philosophorum I, pag. 238) *κατὰ τὴν γένεσιν τοῦδε τοῦ κόσμου ἀποκριθῆναι.* Quod Anaximandri decretum ut Plato locis, quos attuli, respexerit, fieri potest. Quamquam aliorum quoque decreta — velut Parmenidis *πρὸς τὴν δόξαν* — significare potuit. Veri similius est Anaximandrum esse, quem respicit Phædon. 96 B: *ἐπειδὰν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν σηπεδόνα τινὰ λάβῃ, ὥς τινες ἔλεγον, τότε δὴ τὰ ζῷα συντρέφεται . . . .* Calido et gelido tabe quadam solutis prima animalia nata esse: hoc decretum prope accedit ad rationem Anaximandri, qui docuisse videtur primam illam gelidi calidique *ἐναντιότητα* solutam et in aquam mutatam esse. Aqua quasi proximo usus est principio, Thaletem secutus, declaratque in ea prima esse animalia orta. Cfr Plut. Plac. Phil. III. 16. *Ἀναξίμανδρος τὴν θάλασσάν φησιν εἶναι τῆς πρώτης ὑγρασίας λείψανον, ἧς τὸ μὲν πλεῖον μέρος ἀνεξήρανε τὸ πῦρ, τὸ δὲ ὑπολειφθὲν διὰ τὴν ἔκκαυσιν μετέβαλεν.* Ibid. V. 19. *Ἀναξίμανδρος ἐν ὑγρῷ γεννηθῆναι τὰ πρῶτα ζῷα.* Zeller Phil. der Griech. I. p. 206.

mandri disciplinam respicere videntur [1]). Apparet igitur Platonem in veterum Ionicorum ratione explicanda minime esse copiosum.

Pythagoreorum planius et apertius significat disciplinam. Pythagoram ipsum semel commemorat: mores correxisse nova quadam vitæ ratione instituta, quam essent, qui etiamtum sequererentur [2]). Nusquam vero Pythagoricæ *philosophiæ* auctorem esse Pythagoram indicat Plato: nihil omnino de philosophia eius affert: eodem, quo Aristoteles, modo Pythagoreorum familiam, *τοὺς Πυθαγορείους,* nominat, singulos Pythagoreos perraro respicit. Quorum *Philolaum* narrat Thebis quum moraretur, Simmiam et Cebetem habuisse discipulos [3]). *Timæus* dicitur Locrensis, antiquo genere nobilis, summis rei publicæ honoribus esse muneribusque perfunctus [4]).

---

1) Fieri potest, ut Anaximenem respexerit Plato Phædon. 96: *πότερον τὸ αἷμά ἐστιν, ᾧ φρονοῦμεν, ἢ ὁ ἀὴρ ἢ τὸ πῦρ* . . . . Cfr Aristot. Met. 1. 3. *Ἀναξιμένης δὲ ἀέρα καὶ Διογένης πρότερον ὕδατος καὶ μάλιστα ἀρχὴν τιθέασι τῶν ἁπλῶν σωμάταν.* Plut. Plac. Phil. 1. 3. *Ἀναξιμένης δὲ ὁ Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο· ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς αὐτὸν πάλιν ἀναλύεσθαι· οἷον ἡ ψυχὴ ἡ ἡμετέρα — φησίν — ἀὴρ οὖσα συγκρατεῖ ἡμᾶς καὶ ὅλον τὸν κόσμον ἀὴρ καὶ πνεῦμα περιέχει.* Fieri potest: veri similius est Anaxagoram et Diogenem significari Eiusmodi sunt, quæ Phædon. 97 D reperiuntur: *καί μοι φράσειν πρῶτον μὲν πότερον ἡ γῆ πλατεῖά ἐστιν ἢ στρογγύλη* . . . . cfr Arist. de Coel. II. 13 — vel quæ legimus Phædon. 99 B: *ὁ δὲ ὥσπερ καρδόπῳ πλατείᾳ βάθρον τὸν ἀέρα ὑπερείδει* . . . . cfr Plutarch. ap. Euseb. Præp. Evang. I. 8: *πιλουμένου δὲ τοῦ ἀέρος πρώτην γεγενῆσθαι . . . . τὴν γῆν, πλατεῖαν μάλα· διὸ καὶ κατὰ λόγον ἐποχεῖσθαι ἀέρι.*

2) Rep. 600 B: *ἀλλὰ δὴ εἰ μὴ δημοσίᾳ, ἰδίᾳ τισὶν ἡγεμὼν παιδείας αὐτὸς ζῶν λέγεται Ὅμηρος γενέσθαι, οἳ ἐκεῖνον ἠγάπων ἐπὶ συνουσίᾳ καὶ τοῖς ὑστέροις ὁδόν τινα παρέδοσαν βίου Ὁμηρικήν, ὥσπερ Πυθαγόρας αὐτός τε διαφερόντως ἐπὶ τούτῳ ἠγαπήθη, καὶ οἱ ὕστεροι ἔτι καὶ νῦν Πυθαγόρειον τρόπον ἐπονομάζοντες τοῦ βίου διαφανεῖς πῃ δοκοῦσιν εἶναι ἐν τοῖς ἄλλοις.*

3) Phædon. 61 D. E.

4) Tim. 20 A: *Τίμαιός τε γὰρ ὅδε, εὐνομωτάτης ὢν πόλεως τῆς ἐν*

Initio Philebi dialogi quæstio movetur de uno et multis. Quæstio, Plato, illa, inquit, prætermitti non potest, semper, ut solvatur, flagitat: *φαμέν που ταὐτὸν ἓν καὶ πολλὰ ὑπὸ λόγων γιγνόμενα περιτρέχειν πάντῃ καθ᾽ ἕκαστον τῶν λεγομένων ἀεὶ καὶ πάλαι καὶ νῦν, καὶ τοῦτο οὔτε μὴ παύσηταί ποτε οὔτε ἤρξατο νῦν, ἀλλ᾽ ἐστὶ τὸ τοιοῦτον, ὡς ἐμοὶ φαίνεται, τῶν λόγων αὐτῶν ἀθάνατόν τι καὶ ἀγήρων πάθος ἐν ἡμῖν* [1]). Et Prometheum quoddam facinus viam aperuit perdifficilis illius quæstionis solvendæ. Plato 16 C hæc: *θεῶν μὲν εἰς ἀνθρώπους δόσις, ὥς γε καταφαίνεται ἐμοί, ποθὲν ἐκ θεῶν ἐρρίφη διά τινος Προμηθέως ἅμα φανοτάτῳ τινὶ πυρί· καὶ οἱ μὲν παλαιοί, κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, ταύτην τὴν φήμην παρέδοσαν, ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν ὄντων τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν αὐτοῖς ξύμφυτον ἐχόντων.* Pythagorei sunt *παλαιοὶ* illi: Pythagoreos respicit Plato, *τοὺς παλαιοὺς* quum commemorat. Quæ sequuntur: unam primum in omnibus rebus ideam esse quærendam, deinde duas, tum tres, omnes denique eruendas, dum, non modo unum esse et multa, quod initio unum visum sit: *τὸ κατ᾽ ἀρχὰς ἕν*, cognoverimus, sed etiam quot in se comprehendat ideas -- ea exponere huius loci non est, neque ostendere, Platonicæ disciplinæ quæ sint Pythagoreorum decreta admixta, quaque ratione in huius disciplinæ similitudinem sint formata. Neque exquiremus, ad quem gradum et quasi processum Platonicæ ætatis Pythagorei disciplinam suam perduxerint, neque, Plato quantum iis debeat, in tanta testimoniorum inopia diiudicabimus: Philolai enim

---

᾿Ιταλίᾳ Λοκρίδος, οὐσίᾳ καὶ γένει οὐδενὸς ὕστερος ὢν τῶν ἐκεῖ, τὰς μεγίστας μὲν ἀρχάς τε καὶ τιμὰς τῶν ἐν τῇ πόλει μετακεχείρισται, φιλοσοφίας δ᾽αὖ κατ᾽ ἐμὴν δόξαν ἐπ᾽ ἄκρον ἁπάσης ἐλήλυθε.

1) 15 D.

fragmentis fontibus uti genuinis haud liceat[1]). Nostrum est exponere, Plato quæ Pythagoreorum decreta respiciat et significet. Significat autem eos principium esse rerum et materiam numeros docuisse elementaque numeri esse finem, *τὸ πέρας*, et infinitatem vel infinitum, *τὴν ἀπειρίαν* vel *τὸ ἄπειρον*. Unum, quod statuebant Pythagorei, ceterosque numeros longe aliud esse apparet atque Platonis *ἓν καὶ πολλά*, illorumque *πέρας* et *ἄπειρον* in ipsius Platonis rationem esse recepta. Neque eo minus illa Pythagoreorum decreta loco, quem attulimus, significat Plato: antiquos illos voluisse narrat, »quæ esse dicerentur, esse unum et multa, ex uno multisque — id est autem e numeris — orta esse« et »in omnibus rebus inesse finem et infinitum, *πέρας* et *ἄπειρον*«: quæ ipsa decreta caput fuisse Pythagoreorum Aristoteles testis est[2]). Locum, quem obtineat Unum in serie numerorum Pythagorica, Plato *ἓν καὶ πολλὰ* commemorando videtur significare[3]). Cui numerorum disciplinæ ipse quid debeat, se non ignorare indicat:

---

1) Exemplo utar loco Phileb. 23 C — 27 C, ubi, quæ sunt, in quatuor genera dividuntur 1) *τὸ πέρας*, 2) *τὸ ἄπειρον*, 3) quæ ex illis principiis gignuntur: infinitatem fine ordinatam, 4) *αἰτίαν*. Quorum quæ sunt Pythagorica, quæ Platonica?

2) Cfr Arist. Met. I. 5: *ἐν δὲ τούτοις καὶ πρὸ τούτων οἱ καλούμενοι Πυθαγόρειοι τῶν μαθημάτων ἁψάμενοι πρῶτοι ταῦτα προήγαγον, καὶ ἐντραφέντες ἐν αὐτοῖς τὰς τούτων ἀρχὰς τῶν ὄντων ἀρχὰς ᾠήθησαν εἶναι πάντων*. Met. XIII. 3: *οἱ δὲ Πυθαγόρειοι διὰ τὸ ὁρᾶν πολλὰ τῶν ἀριθμῶν πάθη ὑπάρχοντα τοῖς αἰσθητοῖς σώμασιν, εἶναι μὲν ἀριθμοὺς ἐποίησαν τὰ ὄντα, οὐ χωριστοὺς δέ, ἀλλ' ἐξ ἀριθμῶν τὰ ὄντα*. Met. I. 5: *φαίνονται δὴ καὶ οὗτοι τὸν ἀριθμὸν νομίζοντες ἀρχὴν εἶναι καὶ ὡς ὕλην τοῖς οὖσι καὶ ὡς πάθη τε καὶ ἕξεις, τοῦ δὲ ἀριθμοῦ στοιχεῖα τό τε ἄρτιον καὶ τὸ περιττόν, τούτων δὲ τὸ μὲν πεπερασμένον, τὸ δ' ἄπειρον, τὸ δ' ἓν ἐξ ἀμφοτέρων εἶναι τούτων (καὶ γὰρ ἄρτιον εἶναι καὶ περιττόν), τὸν δ' ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός, ἀριθμοὺς δέ, καθάπερ εἴρηται, τόν ὅλον οὐρανόν.*

3) Cfr quæ supra attulimus: *τὸν δ' ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός.*

deorum appellat donum — *θεῶν δόσιν* — quod nisi Prometheo facinore e coelo arripi non potuerit: eandem enim disciplinam ipsum se ducem secutum quæstionem de uno et multis deque fine et infinito solvisse significat.

In doctrina explicanda Pythagorei ita progressi sunt, ut, quum statuissent numerorum elementa esse eadem rerum, numerorumque legibus res teneri — *ὡς μετρητικὴ περὶ πάντ' ἐστὶ τὰ γιγνόμενα* Polit. 285 A — numeros inesse ostenderent non minus in figuris solidisque corporibus quam in sonorum serie. Musicam eorum artem Plato respicere videtur Phileb. 17 C sqq.: *ἐπειδὰν λάβῃς τὰ διαστήματα, ὁπόσα ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν τῆς φωνῆς ὀξύτητός τε πέρι καὶ βαρύτητος καὶ ὁποῖα, καὶ τοὺς ὅρους τῶν διαστημάτων, καὶ τὰ ἐκ τούτων ὅσα συστήματα γέγονεν, ἃ κατιδόντες οἱ πρόσθεν παρέδοσαν ἡμῖν τοῖς ἑπομένοις ἐκείνοις καλεῖν αὐτὰ ἁρμονίας . . . . κτλ.* Pythagorei sunt *οἱ πρόσθεν*, qui numeri quantum ad sonos efficiendos valerent, invenerunt, vocumque discriminibus circumscriptis concentum effecerunt et harmoniam. Eandem numerorum inesse vim in figurarum corporumque solidorum serie eos statuisse Plato testis est. Scribit enim Rep. 530 D: *κινδυνεύει ὡς πρὸς ἀστρονομίαν ὄμματα πέπηγεν, ὣς πρὸς ἐναρμόνιον φορὰν ὦτα παγῆναι, καὶ αὗται ἀλλήλων ἀδελφαί τινες αἱ ἐπιστῆμαι εἶναι, ὡς οἵ τε Πυθαγόρειοί φασιν καὶ ἡμεῖς, ὦ Γλαύκων, ξυγχωροῦμεν:* musica ars et siderum cognitio sorores sunt: versantur enim ambæ circa motum, quem Plato *ἐναρμόνιον φορὰν* appellat, harmoniam significans motus, quam efficit numerus — ipse harmonia quædam *τὸ πέρας* et *τὸ ἄπειρον* coniungens. Omnia enim numerorum vi tenentur: sonorum motus, *φορὰ ἐναρμόνιος*, non minus quam cursus astrorum: Pythagorei, ut qui illa excogitaverint,

»*κομψοὶ περὶ μουσικὴν καὶ ἀστρονομίαν*« appellantur (Cratyl. 405 C. D.[1]).[2]).

Platonem apparet subtiliora Pythagoreorum disciplinæ et reconditiora minime copiose explicare. Significat numerorum doctrinam, unum de ratione, quæ inter musicam et siderum cognitionem intercedat, decretum ita exponit, ut Pythagoreos nominet: en habes omnia, nisi quis de rebus incertis coniicere vult, in quibus, ne Pythagorea cum Platonicis confundantur, periculum est. Sæpius licet adducamur, ut Platonem suspicemur Pythagoreorum decretis usum esse: aperte vero nulla significat, nisi quæ iam attulimus. Quæ communia esse vidimus et summa disciplinæ: nullo enim loco, quantum inter se differant antiqui illi Pythagorei quique postea eos secuti sunt, indicat: nulla singulis sua atque propria attribuit decreta, totam familiam universe significat. Hoc vero ipsum tenendum est: primum testem eundemque gravissimum priscam illam doctrinam ita exposuisse, ut simplicem fuisse appareat quamque ætas illa ferre potuerit. Permagni enim interest Platonem de disciplina, quam ipsa antiquitas mythorum quodam involucro velatam deformavit, adeo nihil tradere[1]).

---

1) Eam statuebant Pythagorei esse harmoniam motus astrorum, quæ sonorum quoque concentum efficeret. Quam »sphærarum harmoniam« Plato respexit Rep. 617 B. C.: *ἐπὶ δὲ τῶν κύκλων αὐτοῦ ἄνωθεν ἐφ' ἑκάστου βεβηκέναι Σειρῆνα συμπεριφερομένην, φωνὴν μίαν ἱεῖσαν, ἕνα τόνον· ἐκ πασῶν δὲ ὀκτὼ οὐσῶν μίαν ἁρμονίαν ξυμφωνεῖν.* Cfr Arist. de Cael. II. 9.

2) Sintne genuina Pythagoreorum et vetera, quæ in Phædone Simmiam disputantem Plato inducit: animum esse harmoniam quandam, diiudicare haud ausim: veri simile esse videtur eum hac in re Pythagoricam rationem esse secutum. Neque Aristoteles plane hanc rem et aperte explicat: cfr de Anim. I. 4: *καὶ ἄλλη δέ τις δόξα παραδέδοται περὶ ψυχῆς . . . . ἁρμονίαν γάρ τινα αὐτὴν λέγουσι, καὶ γὰρ τὴν ἁρμονίαν κρᾶσιν καὶ σύνθεσιν ἐναντίων εἶναι, καὶ τὸ σῶμα συγκεῖσθαι ἐξ ἐναντίων* — quæ ad Phædon. 85 E proxime accedere apparet.

1) Platonem in subtiliore Pythagoreorum disciplina explicanda non nisi prima vidimus et initia doctrinæ paucis significare. Sæpius aliquanto respicit, quæ ad commune iudicium accommodata de cultu deorum deque recte vivendi via docuerunt. Quæ autem qui tractat, unde quæque sumta sint, eruere non poterit. Quæ enim Pythagorei de rebus divinis docuerunt, quæque Orphici statuisse feruntur, sæpius adeo nihil inter se differunt, ut, ex qua origine et quasi fonte manaverint, exquirere non possimus. Ne hoc quidem nobis ut exquiramus continget, sintne hac in re Pythagoreos Orphici secuti, an horum doctrina illi duce sint usi. Cfr Lobeck quæ Aglaoph. I. p. 248 disputat: »Plurima utrisque communia, neutris propria fuere, quippe a natura ipsa in animis hominum incohata . . . . Hinc manarunt illa, quæ de vitando rerum feralium et puerperii contactu deque morticinis præcipiuntur, et magna pars Pythagoricarum constitutionum: *ἀνυπόδετον θύειν, μὴ τίκτειν ἐν ἱερῷ* et alia eiusmodi, quæ quis primus sanxerit, non magis quæri debet, quam qui primus nauta aut agricola fuerit». Afferemus igitur quæ Plato de sacris Pythagoreorum opinionibus commemorare videtur, ita, ut concedamus fieri non posse ut omnino distinguantur omnia Pythagorica ab Orphicorum doctrina mysteriorumque disciplina. Locos autem seponemus, quibus Orphicam doctrinam respici constat.

Nobilissimum illud Pythagoreorum et Orphicorum de animorum migratione decretum Plato sæpe respicit. »Prodiderunt» — inquit — »maiores illinc animos huc venire». Phædon. 70 C.: *παλαιὸς μὲν οὖν ἔστι τις λόγος, οὗ μεμνήμεθα, ὡς εἰσὶν ἐνθένδε ἀφικόμεναι ἐκεῖ καὶ πάλιν γε δεῦρο ἀφικνοῦνται καὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων.* Cfr Lobeck. Aglaoph. II. p. 795 sqq. Vita ex qua in hanc vitam migraverunt, propria est animorum et vera: hoc enim corpus carcer est vel potius sepulcrum, in quo conclusi pœnas luunt scelerum, quæ illic commiserunt — quam opinionem Orphicorum quoque fuisse Plato testis est. Phædon. 62 B: *ὁ μὲν οὖν ἐν ἀπορρήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος, ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι. . . .* Cratyl. 400 C: *καὶ γὰρ σῆμά τινές φασιν αὐτὸ εἶναι τῆς ψυχῆς, ὡς τεθαμμένης ἐν τῷ νῦν παρόντι. . . . δοκοῦσι μέντοι μοι μάλιστα θέσθαι οἱ ἀμφὶ Ὀρφέα τοῦτο τὸ ὄνομα ὡς δίκην διδούσης τῆς ψυχῆς, ὧν δὴ ἕνεκα δίδωσι.* Eodem serio ludo verba *σῆμα* et *σῶμα* comparantur Gorg. 493 A: *καὶ ἡμεῖς τῷ ὄντι ἴσως τέθναμεν· ὅπερ ἤδη του ἔγωγε καὶ ἤκουσα τῶν σοφῶν, ὡς νῦν ἡμεῖς τέθναμεν, καὶ τὸ μὲν σῶμά ἐστιν ἡμῖν σῆμα.* (Sintne ea, quæ sequuntur, fabulam dico de *κοσκίνῳ* et *πίθοις*, Pythagorea, diiudicare haud ausim). Morte ruptis carceris vinculis illuc evolat animus, ut pro suo quisque merito vitæ fructum percipiat. Quam animorum migrationem, Pythagoreorum et Orphicorum ratione usus, Plato præclaris verbis et magnificis ante oculos ponit Phædon 81—83, 107 C — 115, Republ. 614 sqq, Menon. 81 A— D. cet.

Plato rationem vivendi Pythagoream, »τὸν τρόπον Πυθαγόρειον», Rep. 600 significatam, non exponit. Sed »Orphicam vitam» adumbrat. Mites fuisse dicuntur Orphici et mansueti, ut qui esum carnium cruentaque sacra vitaverint. Leg. 782 C: *τοὐναντίον ἀκούομεν ἐν ἄλλοις, ὅτι οὐδὲ βοὸς ἐτολμῶμεν γεύεσθαι, θύματά τε οὐκ ἦν τοῖς θεοῖσι ζῷα, πέλανοι δὲ καὶ μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἁγνὰ θύματα, σαρκῶν δ᾽ἀπείχοντο ὡς οὐχ ὅσιον ὂν ἐσθίειν, οὐδὲ τοὺς θεῶν βωμοὺς αἵματι μιαίνειν, ἀλλὰ Ὀρφικοί τινες λεγόμενοι βίοι ἐγίγνοντο ἡμῶν τῶν τότε, ἀψύχων μὲν ἐχόμενοι πάντων, ἐμψύχων δὲ τοὐναντίον πάντων ἀπεχόμενοι.* — Orphea vatem fabulosum, a quo nominati sunt Orphici, Plato sæpius commemorat, neque, quin ullus fuerit Orpheus, dubitat — cfr Apol. 41 A, Protag. 315 A sq. Rep. 621 A. Leg. 829 E. Quæ iam diu vulgo ferebantur scripta, Orphei, Musæi aliorumque nominibus notata respicit. Neque tamen dissimulat se carmina illa Orphica minime putare ab Orpheo esse conscripta. Cfr Rep. 364 sqq: *βίβλων δὲ ὅμαδον παρέχονται Μουσαίου τε καὶ Ὀρφέως, Σελήνης τε καὶ Μουσῶν ἐκγόνων, ὥς φασι, καθ᾽ ἃς θυηπολοῦσι πείθοντες οὐ μόνον ἰδιώτας ἀλλὰ καὶ πόλεις, ὡς ἄρα λύσεις τε καὶ καθαρμοὶ ἀδικημάτων διὰ θυσιῶν καὶ παιδιᾶς ἡδονῶν* — verba »*παιδιᾶς ἡδονῶν*» corrupta esse apparet — *εἰσὶ μὲν ἔτι ζῶσιν, εἰσὶ δὲ καὶ τελευτήσασιν, ἃς δὴ τελετὰς καλοῦσιν, αἳ τῶν ἐκεῖ κακῶν ἀπολύουσιν ἡμᾶς· μὴ θύσαντας δεινὰ περιμένει.* Vatum turbam Orphicos libros circumferentium vaticiniaque venditantium Platonem apparet contemnere non minus quam de ipsorum librorum fide et integritate dubitare. Quæ in istius generis scriptis fuerint, Plato loco, quem attulimus, significat: instituisse videntur *λύσεις καὶ καθαρμοὺς* vivorum et mortuorum: æterna impiorum tormenta depinxerunt piorumque felicitatem, quam corporis voluptatibus percipi voluerunt. Rep. 363 C: *Μουσαῖος δὲ τούτων νεανικώτατος τἀγαθὰ καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ παρὰ θεῶν διδόασι τοῖς δικαίοις· εἰς Ἅιδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ καὶ κατακλίναντες καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες, ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας, ἡγησάμενοι κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν μέθην αἰώνιον.*

Non nullos Orphicorum versus Plato afferendo vel respiciendo testis est antiquiores esse. Sunt autem:

Cratyl. 402 C: *λέγει δέ που καὶ Ὀρφεὺς ὅτι*

Ὠκεανὸς πρῶτος καλλίρροος ἦρξε γάμοιο,
ὅς ῥα κασιγνήτην ὁμομήτορα Τηθὺν ὄπυιεν.

Cfr Lobeck. Aglaoph. I. 508. Mullach. Fragm. Phil. Fragm. Orph. 14. — Cfr Tim. 41 A: *οὕτως οὖν κατ᾽ ἐκείνους ἡμῖν ἡ γένεσις περὶ τούτων τῶν θεῶν ἐχέτω καὶ λεγέσθω. Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην, τούτων δὲ Φόρκυς, Κρόνος τε καὶ Ῥέα καὶ ὅσοι μετὰ τούτων, ἐκ δὲ Κρόνου καὶ Ῥέας Ἥρη καὶ πάντες, ὅσους ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν, ἔτι τούτων ἄλλους ἐκγόνους.* Zeller Phil. d. Griech. I. p. 80.

Leg. 715 E: *ὁ μὲν δὴ θεός, ὥσπερ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ μέσα καὶ τελευτὴν τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων* .... versum respiciunt huius persimilem:

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀρχικέραυνος,
Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.

Aglaoph. I. 521. Mullach. Fr. Ph. Fr. Orph. 6. v. 10. — Et in iis, quæ sequuntur, Orphica quædam respici, veri simile est.

Sympos. 218 B: *οἱ δὲ οἰκέται, καὶ εἴ τις ἄλλος ἐστὶ βέβηλός τε καὶ ἄγροικος, πύλας πάνυ μεγάλας τοῖς ὠσὶν ἐπίθεσθε* .... Respicitur versus:

φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί· θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι.

Aglaoph. I. 438—443. Mullach. Fr. Orph. 12.

Phædon. 69 C: *εἰσὶ γὰρ δή, ὥς φασιν οἱ περὶ τὰς τελετάς, ναρθηκοφόροι μὲν πολλοί, βάκχοι δέ τε παῦροι* .... Quæ respiciuntur sunt:

πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι.

Aglaoph. II. 813 sqq.

Phileb. 66 C:

ἕκτη δ' ἐν γενεᾷ — φησὶν Ὀρφεύς — καταπαύσατε κόσμον ἀοιδῆς.

Aglaoph. II. 788. Mullach. Fr. Orph. 13.

Leg. 669 D: *ποιηταὶ δ' ἀνθρώπινοι σφόδρα τὰ τοιαῦτα ἐμπλέκοντες καὶ συγκυκῶντες ἀλόγως γέλωτ' ἂν παρασκευάζοιεν τῶν ἀνθρώπων, ὅσους φησὶν Ὀρφεὺς λαχεῖν ὥραν τῆς τέρψιος* .... Lobeck versum hac coniectura restituit:

ἥβης μέτρον ἵκοντο λάχον δέ τε τέρψιος ὥρην, additque: »id est: quicunque ad pubertatis annos et ad eam ætatem adoleverunt, quæ Veneri matura habetur«. Aglaoph. II. 947, 948.

Eleaticæ philosophiæ *Xenophanem* esse parentem Plato testis est [1]. Amplius nihil affert de vita Xenophanis, neque decreta eius propria respicit. Commemorat Soph. 242 C. Xenophanem omnia esse unum docuisse, sed religione motum omnium rerum unitatem ita animo concepisse, ut *deum* statueret esse unum, non aperit [2]. Etenim Plato in philosophia Eleatarum exponenda metaphysicam, quæ dicitur, Parmenidis rationem semper, theologicam Xenophanis doctrinam numquam respicit.

Parmenides quo tempore viguerit, ex Parmenide dialogo colligi potest. In quo dialogo sunt 127 sqq: *ὅτι ἀφίκοιντό ποτε εἰς Παναθήναια τὰ μεγάλα Ζήνων τε καὶ Παρμενίδης· τὸν μὲν οὖν Παρμενίδην εὖ μάλα δὴ πρεσβύτην εἶναι, σφόδρα πολιόν, καλὸν δὲ κἀγαθὸν τὴν ὄψιν, περὶ ἔτη μάλιστα πέντε καὶ ἑξήκοντα· Ζήνωνα δὲ ἐγγὺς ἐτῶν τετταράκοντα τότε εἶναι, εὐμήκη δὲ καὶ χαρίεντα ἰδεῖν. καὶ λέγεσθαι αὐτὸν παιδικὰ τοῦ Παρμενίδου γεγονέναι. καταλύειν δὲ αὐτὸν ἔφη παρὰ τῷ Πυθοδώρῳ ἐκτὸς τείχους ἐν Κεραμεικῷ. οἷ δὴ καὶ ἀφικέσθαι τόν τε Σωκράτη καὶ ἄλλους τινὰς μετ' αὐτοῦ πολλοὺς ἐπιθυμοῦντας ἀκοῦσαι τῶν τοῦ Ζήνωνος γραμμάτων· τότε γὰρ αὐτὰ πρῶτον ὑπ' ἐκείνου κομισθῆναι· Σωκράτη δὲ εἶναι τότε σφόδρα νέον.* Verbis *σφόδρα νέον* ita acceptis, ut viginti fere annos natum fuisse Socratem significent, sequitur, ut Parmenides a 520—510 natus sit veneritque Athenas a. f. 450. Sed non defuerunt, qui Parmenidem Zenonemque nisi in libro Platonis Athenas ve-

---

1) Soph. 242 C: *τό δὲ παρ' ἡμῖν Ἐλεατικὸν ἔθνος ἀπὸ Ξενοφάνους τε καὶ ἔτι πρόσθεν ἀρξάμενον ....*

2) Cfr fr. Xenoph. 1:

εἷς θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος,
οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος οὔτε νόημα ....

et fr. 2:

οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δέ τ' ἀκούει.

nisse negaverint [1]). Neque satis haberemus causæ, cur ita factum esse crederemus, si loco, quem attulimus, uno illam Plato peregrinationem commemoraret. At aliis locis Parmenidem narrat Athenis esse commoratum. Theæt. 183 E Socratem inducit dicentem: *συμπροσέμιξα γὰρ δὴ τῷ ἀνδρὶ πάνυ νέος πάνυ πρεσβύτῃ, καί μοι ἐφάνη βάθος τι ἔχειν παντάπασι γενναῖον.* Et Soph. 217: *οἷόν ποτε καὶ Παρμενίδῃ χρωμένῳ καὶ διεξιόντι λόγους παγκάλους παρεγενόμην ἐγὼ νέος ὤν, ἐκείνου μάλα δὴ ὄντος πρεσβύτου.* Veteranum philosophiæ a tirone conventum esse si in Parmenide dialogo Plato eo consilio confinxisset, ut fabulam apte componeret, quis miraretur? Sed minime veri simile est temere eum ac nullo consilio eodem commento usum esse — quod Theæt. 183 E et Soph. 217 fecisset. Veri est similius, Parmenidem Athenas venisse, Socratemque, quæ in Platonis libro commemorat, adolescentem vidisse. Quæ si ita sunt, Parmenidem statuemus a. 520—510 natum, a. f. 450 Athenas venisse.

Omnibus Plato antiquis philosophis Parmenidem anteponit. Magna eum corporis dignitate fuisse dicit, quemque cani minime dedecuerint [2]). Neque tali specie indignum fuisse ingenium, Socrates quæ Theæt. 183 E commemorat, testimonio sunt. Narrat enim se ingenii acie animique altitudine, quæ in Parmenide essent, vehementer esse permotum. Me quidem, inquit, puderet, si Melisso ceterisque, qui omnium unitatem profitentur, rustica viderer et agresti uti ratione, sed omnibus »generosam Parmenidis altitudinem« [3]) pluris ducerem [4]). Eadem admira-

---

1) Cfr Zeller. Phil. d. Griech. I. p. 509. n. 1.

2) Parm. 127.

3) *βάθος γενναῖον*, Theæt. 183 E.

4) Ibid. *Μέλισσον μὲν καὶ τοὺς ἄλλους, οἳ ἓν ἑστὸς λέγουσι τὸ πᾶν,*

tione eodemque amore imbutum Plato hospitem Eleaticum in Sophista disputantem facit Parmenidemque *τὸν μέγαν* [1]) et *τὸν πατέρα* [2]) appellantem et a Theæteto petentem, ne se, quod necessitate coactus Parmenidis sententiam impugnaverit, parricidii incuset.

Parmenidem constat nihil scripsisse nisi carmen, cuius non nulla extant fragmenta. Fuerunt tamen, qui ex loco quodam Platonis colligere voluerint solutæ orationis genere usum esse Parmenidem. Mullach enim Fragm. Phil. De Parmemide p. 112 hæc Suidæ affert: *ἔγραψε δὲ . . . . καὶ ἄλλα τινὰ καταλογάδην, ὧν μέμνηται Πλάτων.* Sed nihil eiusmodi in nostro quidem corpore Platonico invenitur. Summo igitur iure coniicit Mullach errorem ex loco Soph. 237 A perverse accepto ortum esse. Ubi Plato hæc: *Παρμενίδης δὲ . . . . ἀπεμαρτύρατο πεζῇ τε ὧδε ἑκάστοτε λέγων καὶ μετὰ μέτρων . . . .* Verbum autem *πεζῇ* videtur idem minus recte interpretari. Scribit enim: »At Plato videtur *πεζῇ* ad pedestrem versuum incessum, *μετὰ μέτρων* ad orationem numeris vinctam retulisse«. Platonem autem apparet nihil dicere nisi Parmenidem, ut in carmine, ita in quotidiano sermone, ne quis *τὸ μὴ ὂν* esse statueret, monuisse. — Nullum igitur præter carmen illud Parmenidis librum Plato commemorat.

Soph. 236 E sq, ubi, num fieri possit, ut falsa exsistat opinio, quæritur [3]), hospes dicit: *τετόλμηκεν ὁ λόγος οὗτος ὑποθέσθαι τὸ μὴ ὂν εἶναι· ψεῦδος γὰρ οὐκ ἂν ἄλλως ἐγίγνετο ὄν. Παρμενίδης δὲ ὁ μέγας, ὦ παῖ, παισὶν ἡμῖν οὖσιν*

αἰσχυνόμενος, μὴ φορτικῶς σκοπῶμεν, ἧττον αἰσχύνομαι ἢ ἕνα ὄντα Παρμενίδην. Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται, τὸ τοῦ Ὁμήρου, αἰδοῖός τέ μοι εἶναι ἅμα δεινός τε.

1) 237 A. 2) 241 D.

3) *ψευδῆ λέγειν ἢ δοξάζειν.*

ἀρχόμενός τε καὶ διὰ τέλους τοῦτο ἀπεμαρτύρατο, πεζῇ τε ᾧδε ἑκάστοτε λέγων καὶ μετὰ μέτρων.

οὐ γὰρ μή ποτε τοῦτο δαῇς — φησιν — εἶναι μὴ ἐόντα,
ἀλλὰ σὺ τῆσδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα [1]).

Idem fragmentum Plato Soph. 258 C sqq servavit: *ΞΕ. οἶσθ' οὖν, ὅτι Παρμενίδῃ μακροτέρως τῆς ἀποῤῥήσεως ἠπιστήκαμεν; ΘΕ. τί δή; ΞΕ. πλεῖον ἢ κεῖνος ἀπεῖπε σκοπεῖν ἡμεῖς τὸ πρόσθεν ἔτι ζητήσαντες ἀπεδείξαμεν αὐτῷ. ΘΕ. πῶς; ΞΕ. ὅτι ὁ μέν πού φησιν*

οὐ γὰρ μή ποτε τοῦτο δαῇς εἶναι μὴ ἐόντα,
ἀλλὰ σὺ τῆσδ' ἀφ' ὁδοῦ διζήσιος εἶργε νόημα.

Commemorat igitur Plato, discipulos Parmenidem, ut eam fugerent investigandi viam, quæ ad *τὸ μὴ ὄν* duceret, semper monuisse. Unum enim esse, quod sit, ens: quæ non sint, *τὸ μὴ ὄν*, non esse. Quæ quum ita sint, hospes se timere fatetur, ne parricidii accusetur, quod Parmenidis rationem impugnaverit statueritque *τὸ ὄν* quodammodo non esse et *τὸ μὴ ὄν* quoddammodo esse [2]). Id enim qui concedit: ens quodam modo non esse et non ens quodam modo esse, Parmenidis rationem funditus evertit. Illam ipse *ὁδὸν διζήσιος* spernere discipulos iubet monetque, ne sibi persuaderi patiantur esse, quæ non sint: *εἶναι μὴ ἐόντα.* Significat Plato esse Parmenideæ disciplinæ caput: ens est: quæ non sunt, *τὸ μὴ ὄν*, nullo modo, nulla ratione, nulla ex parte sunt [3]).

---

1) Vulgo: *τοῦτο οὐδαμῇ*, Heind. coni. *τοῦτο δαῇς.*

2) L. c. *τὸν τοῦ πατρὸς Παρμενίδου λόγον ἀναγκαῖον ἡμῖν ἀμυνομένοις ἔσται βασανίζειν καὶ βιάζεσθαι τό τε μὴ ὂν ὡς ἔστι κατά τι καὶ τὸ ὂν πάλιν ὡς οὐκ ἔστι πῃ.*

3) Cfr fr. Parm. 43:
χρὴ τὸ λέγειν τε νοεῖν τ' ἐὸν ἔμμεναι· ἐστὶ γὰρ εἶναι,
μηδὲν δ' οὐκ εἶναι· τὰ σ' ἐγὼ φράζεσθαι ἄνωγα.

Quibus acceptis sequitur, ut *unum* sit ens: »quæ appellantur omnia, unum sunt» Soph. 242 D. Nam præter ipsum nihil omnino est: est enim quod est, non est quod non est: nihil igitur est nisi unum ens. Omnia unum esse Eleatas voluisse Plato commemorat Soph. 242 D: *ΞΕ. τὸ δὲ παρ' ἡμῖν Ἐλεατικὸν ἔθνος ἀπὸ Ξενοφάνους τε καὶ ἔτι πρόσθεν ἀρξάμενον, ὡς ἑνὸς ὄντος τῶν πάντων καλουμένων οὕτω διεξέρχεται τοῖς μύθοις.* Unitatis decretum propriam appellat Parmenidis *ὑπόθεσιν* [1]) — et optimo quidem iure, quum id ipsum Parmenides vellet: unum esse ens, præter quod nihil esset. Quam sententiam his inclusit versibus, fr. Parm. 60 sqq:

οὖλον, μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀτέλεστον·
οὔ ποτ' ἔην, οὐδ' ἔσται, ἐπεὶ νῦν ἐστὶν ὁμοῦ πᾶν
ἓν ξυνεχές.

Quibus versibus perspectis hoc quoque ex ratione Parmenidis effici apparet: *immutabile* esse ens. Nam si nihil est nisi ens, si unum est ens, sequitur, ut immobile sit et immutabile, quum nulla causa inveniri possit, cur unum ens, totum et in se perfectum atque absolutum, moveatur immuteturve: ita enim ens mutaretur, ut in non ens converteretur, quod fieri non posse Parmenides contendit. Voluit igitur Parmenides ceterique Eleatæ immutabile esse ens: omnia esse unum, immutabile, quiescens, ut Socrates dicit Theæt. 183 E: *Μέλισσον μὲν καὶ τοὺς ἄλλους, οἳ ἓν ἑστὸς λέγουσι τὸ πᾶν* .... et ipse Parmenides in versu, quem Plato Theæt. 180 E servavit:

οἷον ἀκίνητον τελέθειν, ᾧ πάντ' ὄνομ' ἐστί [2]).

---

1) Parm. 137 B: *ἢ βούλεσθε, ἐπειδήπερ δοκεῖ πραγματειώδη παιδιὰν παίζειν, ἀπ' ἐμαυτοῦ ἄρξωμαι καὶ τῆς ἐμαυτοῦ ὑποθέσεως περὶ τοῦ ἑνὸς .... κτλ.*

2) Theæt. 180 E: *ὀλίγου δὲ ἐπελαθόμην, ὦ Θεόδωρε, ὅτι ἄλλοι αὖ*

Appellantur ob eam causam Eleatæ Theæt. 183 D: *οἱ φάσκοντες τὸ πᾶν ἑστάναι*, dicunturque »omnia ut unum sistere», quum Heracliti »omnia moveant» [1]. Nullum enim motum, nullam mutationem, nullum *γίγνεσθαι* esse statuunt, unum *εἶναι* accipiunt. Ceteros sapientes nullum esse ens, quod firmum esset et stabile, sed omnia æterna nascentium vicissitudine solvi Plato voluisse commemorat. Sed omnibus rationem opponit Parmenidis [2], qui nihil esse profiteatur nisi ens, unum, immutabile, in se quiescens [3]. Ratio igitur Parmenidis est, Platonem si audimus, per se entis philosophia: tractat enim *τὸ αὐτὸ καθ' ἑαυτό* — quibus verbis Platoni usitatissimis iam Parmenidem usum esse fr. Parm. 85 testimonio est [4])

Parmenidem vidimus *ἐὸν* illud animo sibi effinxisse ita, ut esset ens, unum, quiescens, non entis, multitudinis, motus expers [5]. Quæ notiones quum satis abstrusæ

τἀναντία τούτοις ἀπεφήναντο· οἷον ἀκίνητον τελέθειν ᾧ πάντ' ὄνομ' εἶναι, καὶ ἄλλα, ὅσα Μέλισσοί τε καὶ Παρμενίδαι, ἐναντιούμενοι πᾶσι τούτοις διισχυρίζονται, ὡς ἕν τε πάντα ἐστὶ καὶ ἕστηκεν αὐτὸ ἐν αὑτῷ, οὐκ ἔχον χώραν, ἐν ᾗ κινεῖται. — Mullach vulgatæ editionis *τελέθειν* in *τ' ἔμμεναι* mutavit, auctore Simplic. Phys. Ar. f. 19 a, 31 b. At ipse Simplicius Phys. f. 7 a *τελέθειν* scribit. Neque videtur veri simile esse Platonem, spreto solutæ orationis verbo, poëticum illud *τελέθειν* posuisse, nisi fuisset idem in carmine Parmenideo. — Cobet Mnemos. IX. 383 *οἷον* in *οὖλον* mutavit, qua conicetura accepta significationem verborum leniter immutari apparet.

1) L. c. *τῶν τὸ πᾶν κινούντων καὶ τῶν ὡς ἓν ἱστάντων.*

2) Theæt. 152 E .... *ἔστι μὲν γὰρ οὐδέποτ' οὐδέν, ἀεὶ δὲ γίγνεται· καὶ περὶ τούτου πάντες ἑξῆς οἱ σοφοὶ πλὴν Παρμενίδου ξυμφέρεσθον . . . .*

3) Theæt. 180 E: *ἕστηκεν αὐτὸ ἐν αὑτῷ.*

4) Fr. 85:

τωὐτόν τ' ἐν τωὐτῷ τε μένον καθ' ἑωυτό τε κεῖται.

5) Cfr fragm. Parm. 57 sqq:

. . . . μόνος δ' ἔτι μῦθος ὁδοῖο
λείπεται, ὡς ἔστιν· ταύτῃ δ' ἔπι σήματ' ἔασι
πολλὰ μάλ' ὡς ἀγέννητον ἐὸν καὶ ἀνώλεθρόν ἐστιν,

sint quæque sola mente percipi possint, tum vero imbutæ sunt opinione, quam, omnibus philosophis, qui ante Socratis ætatem vigebant, communem, Parmenides quoque habebat. Licet enim minus aperte dixerint, quod nulla egere disputatione ipsis videbatur: omnia tamen omnes corporalia esse putabant, quæque cerni tangique possent. Neque Parmenides ab iis dissentit. Quamvis enim subtiliter videatur et abstruse ens suum a non ente, multitudine, motu defendere, re vera nihil sentit nisi *τὸ πᾶν* corporale esse unum, quod neque motum patiatur neque mutationem. Platonem vidimus Parmenidis rationem ita exponere, ut essentiæ — sic enim *οὐσίαν* latine reddere consuevimus — et unitatis et quietis — *στάσεως* — notiones cogitationi tantum subiiciat et a sensibus abducat arceatque minus pura ab ipso Parmenide admixta. Nec tamen ignorat Parmenidem nondum eo pervenisse, ut res sensibus non subiectas animo concipere posset, sed iis annumerat, qui notionem entis dialectice non eruerint, sed »fabulas velut pueris narraverint« [1]. Simpliciter — *εὐκόλως* — Parmenides philosophari dicitur [2]. Plato fragmentum servavit, ex quo colligi potest, Parmenidem ens unum et immutabile nullo modo a sensibus sevocasse Soph. 244 E:

οὖλον, μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀτέλεστον·
οὔ ποτ' ἔην οὐδ' ἔσται, ἐπεὶ νῦν ἐστιν ὁμοῦ πᾶν,
ἓν ξυνεχές· τίνα γὰρ γέννην διζήσεαι αὐτοῦ;
πῇ, πόθεν αὐξηθέν; οὐκ ἐκ μὴ ὄντος ἐάσω
φάσθαι σ' οὐδὲ νοεῖν· οὐ γὰρ φατὸν οὐδὲ νοητόν
ἐστὶν ὅπως οὐκ ἔστι· τί δ' ἂν μὶν καὶ χρέος ὦρσεν
ὕστερον ἢ πρόσθεν; φύσις οὐ γὰρ ἐόντι καὶ ἀρχή.
Fr. 77. *τὼς γένεσις μὲν ἀπέσβεσται καὶ ἄπιστος ὄλεθρος.*
82. *αὐτὰρ ἀκίνητον μεγάλων ἐν πείρασι δεσμῶν*
ἐστὶν ἄναρχον, ἄπαυστον, ἐπεὶ γένεσις καὶ ὄλεθρος
τῆλε μάλ' ἐπλάγχθησαν, ἀπῶσε δὲ πίστις ἀληθής.
τωὐτόν τ' ἐν τωὐτῷ τε μένον καθ' ἑωυτό τε κεῖται.

1) Soph. 242 sqq. 2) L. c.

πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ,
μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντῃ· τὸ γὰρ οὔτε τι μεῖζον
οὔτε τι βαιότερον πελέναι χρεών ἐστι τῇ ἢ τῇ [1]).

Globo igitur omnibus partibus absoluto et perfecto simile est Parmenidis unum continuum: *ἓν ξυνεχὲς* appellat. Qua imagine illius *αὐτοῦ καθ' ἑαυτὸ* aptiorem Eleata excogitare non potuit. Unum et omnia est ille *σφαίρης εὐκύκλου ὄγκος*, qui præter se vel extra se positum nihil patitur, sed »ipse in se quiescit« [2]).

Verum igitur, Parmenidem si audimus, novit, qui unum esse ens immotumque stare perspexit: »ad veritatem spectat« [3]) ea carminis pars, quæ entis unitatem tractat et immutabilitatem. Alterius quoque carminis partis non nulla extant fragmenta. Quam partem ad varias mortalium opiniones accommodatam nihil ipse dicit nisi »vanam verborum magnificentiam« esse [4]). Quæritur enim, quo modo nata sint nascentia, quæ ulla esse ipse negavit poëta. Plato illam carminis partem numquam commemorat: nihil enim affert de naturali Parmenidis philosophia — nisi quis Soph. 242 B—243 C Parmenidem et Xenophanem significari vult. Ubi Plato fuisse dicit, qui principiis uterentur duobus contrariis, velut gelido et calido vel humido et sicco [5]). [6]). Quibus tamen verbis ut Anaximandrum signi-

---

1) Soph. 244 E. *ΞΕ. τί δέ; τὸ ὅλον ἕτερον τοῦ ὄντος ἑνὸς ἢ ταὐτὸν φήσουσι τούτῳ; ΘΕ. πῶς γὰρ οὐ φήσουσί τε καὶ φασίν; ΞΕ. εἰ τοίνυν ὅλον ἐστίν, ὥσπερ καὶ Παρμενίδης λέγει*
πάντοθεν εὐκύκλου . . . . κτλ.

2) Fr. Parm. 85.

3) *πρὸς τὴν ἀλήθειαν.*

4) Fr. Parm. 112:
κόσμον ἐμῶν ἐπέων ἀπατηλὸν . . . .

5) *ψυχρὸν — θερμόν, ὑγρὸν — ξηρόν.*

6) Cfr Fr. Parm. 113—119, 122 sqq.

ficet, fieri potest. Unum tamen Parmenidis versum, quem in altera carminis parte esse ponendum apparet, Plato servavit, sed ita affert ut, quid dicere voluerit poëta, colligi non possit. Sympos. 178 B Phædrus Amorem laudibus celebrans: *Παρμενίδης δέ* — inquit — *τὴν γένεσιν λέγει*

πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων [1]).

Zenonem Athenis commoratum esse Plato in Parmenide testis est. Quum autem Parmenidem Athenas venisse tribus locis dicat, hoc uno loco Zenonis commemorat peregrinationem [2]). Quare potest, ut fabulæ amplificandæ causa

---

1) Verbi *μητίσατο* quid sit subiectum ambigitur. Stallbaum ad h. l. subiectum vult esse verbum *γένεσις* — ita acceptum, ut »vim naturæ generatricem» significet. Affert Plut. Amat. 756 F: *Παρμενίδης ἀποφαίνει τὸν Ἔρωτα τῶν Ἀφροδίτης ἔργων πρεσβύτατον, ἐν τῇ κοσμογραφίᾳ γράφων πρώτιστον μὲν Ἔρωτα . . . . κτλ.* Quæ si ita essent, verba significarent Venerem sive *Γένεσιν*, generatricem illam vim, Amorem primum procreasse. At Simplicius, cuius testimonio Zeller suam firmat sententiam, Phys. f. 9 a aperte dicit verbi *μητίσατο* subiectum esse *δαίμων*. Est autem *δαίμων* obscura illa dea, de qua Parmenides fr. 128 sqq:

ἐν δὲ μέσῳ τούτων Δαίμων, ἣ πάντα κυβερνᾷ·
πάντῃ γὰρ στυγεροῖο τόκου καὶ μίξιος ἀρχή,
πέμπουσ᾽ ἄρσενι θῆλυ μιγῆναι, ἐναντία τ᾽ αὖθις
ἄρσεν θηλυτέρῳ.

Verbis ita acceptis, ut verbi *μητίσατο* subiectum esse *δαίμων* statuamus, *γένεσιν* necesse est eandem habere vim quam Arist. Metaph. 1. 4 habet: *ὑποπτεύσειε δ᾽ ἄν τις Ἡσίοδον πρῶτον ζητῆσαι τὸ τοιοῦτον, κἂν εἴ τις ἄλλος ἔρωτα ἢ ἐπιθυμίαν ἐν τοῖς οὖσιν ἔθηκεν ὡς ἀρχήν, οἷον καὶ Παρμενίδης· καὶ γὰρ οὗτος κατασκευάζων τὴν τοῦ παντὸς γένεσιν*

πρώτιστον μέν — *φησιν* — *Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων*, — ubi *γένεσιν* apparet ita intelligi, ut »ortum» significet. Significant igitur verba Platonis: »Parmenides de ortu rerum disputans, primum dicit deorum Amorem a Dea — *τῆς δαίμονος* — esse procreatum». Zellerum enim si audimus, Phil. der Griech. I. 522 Parmenides Amorem a Dea procreatum principia deinde rerum — virile et muliebre, lucidum et obscurum — iunxisse docuit. Sed ex uno Platonis loco prorsus nihil colligi potest.

2) Nisi quis testimonio uti vult Alcib. 1. 119 A, ubi Pythodorus et Callias, Athenienses, discipuli Zenonis fuisse dicuntur. Cuius dialogi leviorem esse auctoritatem satis constat. Quæ de duobus disci-

Plato sodalem Parmenidi Zenonem adiunxerit itaque dialogum composuerit, ut florentem philosophum philosophiæque veteranum iuvenis ingeniosissimus convenerit. Uteumque se habet res, Platonem, quæ de Zenonis vita disputat, ad historiæ fidem expressisse veri simile est. Quæ si ita sunt, Zeno quo tempore Parmenidem Athenas venisse Plato significat, XL f. annos natus fuit. Videtur igitur a. f. 490 esse natus.

Zenonem forma conspicuum fuisse Plato Parm. 127 B scribit [1]. Parmenide familiarissime usum esse idem testis est [2].

Loco illo Parm. 127 Zeno librum suum tum primum emisisse [3] dicitur. Quo libro quid efficere voluerit, Plato aperit. Narrat enim eum Parmenidis rationem defendendam suscepisse. Zeno, inquit, etiam scribendo amicitiam Parmenidis sibi parare studet, estque liber eius re vera auxilii quædam latio [4]. Quum enim qui Parmenidis sententiam impugnabant, rationem eius, quod inter se discreparent, quæ de uno disputaret, riderent, Zeno sibi proposuit, ut haud minore inconstantia laborare efficeret, qui multa esse statuerent. Novam igitur rationem non excogitavit: Zenonis philosophia Parmenidea est — se ab adversariis defendens [5]. Alterum dicit Plato nihil esse nisi

---

pulis narrantur ex loco Parm. 126 C quasi fonte manasse videntur: ibi enim dicitur Pythodorus Zenonis fuisse hospes.

1) *Ζήνωνα δὲ ἐγγὺς ἐτῶν τετταράκοντα τότε εἶναι, εὐμήκη δὲ καὶ χαρίεντα ἰδεῖν.*

2) L. c. *λέγεσθαι αὐτόν παιδικὰ τοῦ Παρμενίδου γεγονέναι.*

3) . . . . *τῶν Ζήνωνος γραμμάτων· τότε γὰρ πρῶτον ὑπ' ἐκείνου κομισθῆναι.* Librum soluta oratione scripsit: Plato *γράμμα, σύγγραμμα, λόγους* appellat. Partes libri, singula argumenta, *λόγοι* sunt: 127 E: *ὅσους περ λόγους γέγραφας.*

4) Parm. 128: *ἔστι δὲ τό γε ἀληθὲς βοήθειά τις ταῦτα τὰ γράμματα τῷ Παρμενίδου λόγῳ πρὸς τοὺς ἐπιχειροῦντας αὐτὸν κωμῳδεῖν.*

5) Hæc sunt verba Platonis Parm. 128: *μανθάνω, εἰπεῖν τὸν Σω-*

unum statuisse, alterum id egisse, ut multa non esse vinceret. Qui fuerint Parmenideæ disciplinæ adversarii, multa esse statuentes — *οἱ τὰ πολλὰ λέγοντες* — in aperto est: Heraclitus, Empedocles veteresque Ionici. Quorum argumenta Zeno, initia et quasi caput rationis in absurdum deducendo, refutavit: adversariorum argumenta parumper accipiebat eo consilio, ut, quæ sequi necesse esset, si quis multa motumque esse statuisset, monstraret [1]). Dialecticæ rationis acumen, quo adversariorum sententiam refutavit Zeno, omnes ubique et semper admirati sunt. Plato: alter, inquit, Palamedes artis dialecticæ subtilitate effecit Zeno, ut eadem res audientibus videretur similis non magis quam dissimilis, una esse et multæ, quiescere eademque moveri [2]). — Nullum vero Zenonis *λόγον* Plato affert.

Platonem commemoravimus in ratione Eleatarum exponenda Parmenidem — quem Zeno videtur in omnibus esse

---

κράτη, ὦ Παρμενίδη, ὅτι Ζήνων ὅδε οὐ μόνον τῇ ἄλλῃ σου φιλίᾳ βούλεται ᾠκειῶσθαι ἀλλὰ καὶ τῷ συγγράμματι. ταὐτὸν γὰρ γέγραφε τρόπον τινὰ ὥσπερ σύ, μεταβάλλων δὲ ἡμᾶς πειρᾶται ἐξαπατᾶν ὡς ἕτερόν τι λέγων. σὺ μὲν γὰρ ἐν τοῖς ποιήμασιν ἓν φῄς εἶναι τὸ πᾶν καὶ τούτων τεκμήρια παρέχει καλῶς τε καί εὖ· ὅδε δὲ αὖ οὐ πολλά φησιν εἶναι, τεκμήρια δὲ αὐτὸς πάμπολλα καὶ παμμεγέθη παρέχεται. τὸ οὖν τὸν μὲν ἓν φάναι, τὸν δὲ μὴ πολλά, καὶ οὕτως ἑκάτερον λέγειν, ὥστε μηδὲν τῶν αὐτῶν εἰρηκέναι δοκεῖν σχεδόν τι λέγοντας ταὐτά, ὑπὲρ ἡμᾶς τοὺς ἄλλους φαίνεται ὑμῖν τὰ εἰρημένα εἰρῆσθαι . . . . ἔστι δὲ τό γε ἀληθὲς βοήθειά τις ταῦτα τὰ γράμματα τῷ Παρμενίδου λόγῳ πρὸς τοὺς ἐπιχειροῦντας αὐτὸν κωμῳδεῖν, ὡς, εἰ ἕν ἐστι, πολλὰ καὶ γελοῖα συμβαίνει πάσχειν τῷ λόγῳ καὶ ἐναντία αὐτῷ. ἀντιλέγει δὲ οὖν τοῦτο τὸ γράμμα πρὸς τοὺς τὰ πολλὰ λέγοντας καὶ ἀνταποδίδωσι ταῦτα καὶ πλείω, τοῦτο βουλόμενον δηλοῦν, ὡς ἔτι γελοιότερον πάσχοι ἂν αὐτῶν ἡ ὑπόθεσις, εἰ πολλά ἐστιν, ἢ ἡ τοῦ ἓν εἶναι, εἴ τις ἱκανῶς ἐπεξίοι.

1) Parm. 136 A. passim.

2) Phædr. 261 D: *τὸν οὖν Ἐλεατικὸν Παλαμήδην λέγοντα οὐκ ἴσμεν τέχνῃ, ὥστε φαίνεσθαι τοῖς ἀκούουσι τὰ αὐτὰ ὅμοια καὶ ἀνόμοια, καὶ ἓν καὶ πολλά, μένοντά τε αὖ καὶ φερόμενα.*

secutus — semper respicere. Xenophani, quæ fuerint propria decreta, nusquam aperire. Neque *Melissus*, quomodo Eleaticam disciplinam immutaverit, exponit. Bis terve Melissum commemorat eodem, quo Parmenidem, modo, omnium unitatem docuisse. Illi hunc anteponere Platonem, testimonio sunt, quæ Socrates dicit Theæt. 183 C[1]). Qua in re Aristoteles eum secutus est[2]). Aristoteles, cur Melissum »paullo rusticiorem« appellet, causam affert: *Παρμενίδης μὲν γὰρ ἔοικε τοῦ κατὰ τὸν λόγον ἑνὸς ἅπτεσθαι, Μέλισσος δὲ τοῦ κατὰ τὴν ὕλην.* Ex quo secutum censet, ut Melissus *infinitum* esse *τὸ ἓν καὶ πᾶν* statueret. Recte vero Aristoteles. Nam quum nemo concedat Parmenidem *τὸ ἓν* omni ex parte omnique ratione *κατὰ λόγον* sibi formasse, tum vero non dubium est, quin suum Melissus unum disertius etiam significaverit esse *καθ᾽ ὕλην* intelligendum. Quod ex ratione, qua eorum impugnat sententiam, qui motum esse statuebant, colligi potest. Negat enim quicquam moveri posse, quod vacuum, in quo moveatur, sit nullum. Quam probandi rationem ut Plato Theæt. 180 E significaverit, fieri potest. Ubi scripsit: . . . . *ὅσα Μέλισσοί τε καὶ Παρμενίδαι ἐναντιούμενοι πᾶσι τούτοις, διισχυρίζονται, ὡς ἕν τε πάντα ἐστὶ καὶ ἕστηκεν αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ, οὐκ ἔχον χώραν, ἐν ᾗ κινεῖται.* Verbis *οὐκ ἔχον χώραν, ἐν ᾗ κινεῖται* Melissum respici credo. Conferas enim fragm. Meliss. 5 *καὶ κατ᾽ ἄλλον δὲ τρόπον οὐδὲν κενεόν ἐστι τοῦ ἐόντος· τὸ γὰρ κενεὸν οὐδέν ἐστι· οὐκ ἂν ὦν εἴη τό γε μηδέν· οὐ κινέεται ὢν τὸ ἐόν· ὑποχωρῆσαι γὰρ οὐκ ἔχει οὐδαμῇ, κενεοῦ μὴ ἐόντος.* Et fr. Meliss. 14 *οὐδὲ κινέεται·*

---

1) *Μέλισσον μὲν καὶ τοὺς ἄλλους . . . . ἧττον αἰσχύνομαι ἢ ἕνα ὄντα Παρμενίδην.*

2) Metaph. I. 5 . . . . *οἱ μὲν δύο καὶ πάμπαν ὡς ὄντες μικρὸν ἀγροικότεροι, Ξενοφάνης καὶ Μέλισσος.*

ὑποχωρῆσαι γὰρ οὐκ ἔχει οὐδαμῇ, ἀλλὰ πλέον ἐστί· εἰ μὲν γὰρ κενεὸν ἦν, ὑπεχώρεε ἂν εἰς τὸ κενεόν· κενεοῦ δὲ μὴ ἐόντος οὐκ ἔχει, ὅκῃ ὑποχωρήσει. Nullo modo negaverim, si unitas universi aliqua ex parte καθ᾽ ὕλην intellecta sit, sequi, ut nullum vacuum esse possit. Neque igitur veri simile est Melissum ita se rem habere primum docuisse [1]. Primus vero nullum vacuum esse eo consilio docuisse videtur, ut motum esse nullum efficeret. Quam probandi rationem Plato l. c. respicere videtur.

Vigueritne post Melissi ætatem familia ratioque Eleatarum, ex dialogis colligi non potest.

Eleatarum disciplinæ tota contraria est *Heracliti* [2] ratio. Unum esse ens firmum atque stabile volunt illi, fieri hic omnia nascique et interire — ens vero, quod stulti appellent [3], esse nullum. Eleatas Plato τοὺς τὰ πάντα ὡς ἓν ἑστάναι appellat. Heracliteï sunt οἱ τὰ πάντα φάσκοντες κινεῖσθαι [4], immo

1) Parmenides ipse plane atque aperte docuit nullum esse vacuum, sed »omnia entis plena» esse, fragm. 80:

. . . . πᾶν δὲ πλέον ἐστὶν ἐόντος·
τῷ ξυνεχὲς πᾶν ἐστιν· ἐὸν γὰρ ἐόντι πελάζει.

Quibus versibus eum apparet id sibi ἐὸν effinxisse, quod esset totum, solidum, in se perfectum et consummatum — corpus!

2) De vita Heracliti nihil Plato, nisi quod Ionium fuisse significat, Musam eius »Ionicam» appellando Soph. 242. Ex eodem loco colligi posse videtur, Platonem putasse Heraclitum unitatis ratione — sive Xenophanis de uno Deo decreto — ad scribendum esse lacessitum. Dicuntur enim Ionica et Sicula Musæ »tutius» putasse unum et multa, πολλὰ καὶ ἕν, coniungere: Soph. 242: Ἰάδες δὲ καὶ Σικελαί τινες ὕστερον Μοῦσαι ξυννενοήκασιν, ὅτι συμπλέκειν ἀσφαλέστερον ἀμφότερα. Fieri tamen potest ut ὕστερον ξυννενοήκασιν illud Plato eo consilio posuerit, ut vim augeret orationis. — Cognovisse Heraclitum Xenophanis rationem ipse testis est fragm. 14: πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει· Ἡσίοδον γὰρ ἂν ἐδίδαξε καὶ Πυθαγόρην, αὖτίς τε Ξενοφάνεά τε καὶ Ἑκαταῖον . . . .

3) ἃ δή φαμεν εἶναι οὐκ ὀρθῶς προσαγορεύοντες.

4) Theæt. 181 D.

οἱ ῥέοντες! Plato Heraclitеam rationem Eleatis totam opponit: eo putat ipso Heraclitum munere fungi, ut suam Eleaticæ opponat rationem. De qua Plato hæc fere commemorat.

Heraclitus omnia perpetuo motu moveri vult. »Omnia moventur, nihil quiescit«. Cratyl. 401 B: *σχεδόν τι αὖ οὗτοι καθ' Ἡράκλειτον ἂν ἡγοῖντο τὰ ὄντα ἰέναι τε πάντα καὶ οὐδὲν μένειν.* Imagine usus *τὰ ὄντα* flumen esse dixit, cuius undæ ab æterno tempore in æternum prætertfluerent, ut nemo in idem flumen bis descendere posset: nullo enim temporis puncto intermisso mutari flumen, quum alia aliam summoveret unda. Cratyl. 402 A: *λέγει που Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει, καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης* [1]). Heraclito eundem præbet usum simile fluminis — cuius undas minus recte appellantes, *οὐκ ὀρθῶς προσαγορεύοντες, esse* dicamus, — quem Parmenidi *σφαίρης* ille *ὄγκος*, cuius imagine universum cogitavit. »Omnia fluunt«, »omnia quasi flumen labuntur«: ita Plato rationem Heracliti sæpius exprimit — velut Theæt. 182 C: *κινεῖται γὰρ καὶ ῥεῖ, ὡς φατέ, τὰ πάντα.* Phileb. 43 A: *ὡς οἱ σοφοί φασιν· ἀεὶ γὰρ ἅπαντα ἄνω τε καὶ κάτω ῥεῖ.* Theæt. 160 D: *κατὰ μὲν Ὅμηρον καὶ Ἡράκλειτον καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον φῦλον οἷον ῥεύματα κινεῖσθαι τὰ πάντα.* Universum, *τὰ πάντα*, æternum illud flumen est, cuius motus ac mutatio nulla ex parte sistatur. In quo æterno flumine omnia, quæ *esse* nobis videntur, solvuntur: opinati rerum termini tolluntur: quæ contrariæ esse videntur res, alia in aliam vertuntur: omnia in omnia mutantur. Nullum est enim

---

1) Cfr fr. Her. 21: *ποταμῷ γὰρ οὐκ ἔστι δὶς ἐμβῆναι τῷ αὐτῷ καθ' Ἡράκλειτον* — et 22: *ποταμοῖσι τοῖσι αὐτοῖσι ἐμβαίνουσι ἕτερα ὕδατα ἐπιῤῥέει.*

ἓν αὐτὸ καϑ' αὑτό: undæ fluminis universi evanescentes sunt res, quæ mortalibus per se — *αὐτὰ καϑ' αὑτά* — esse videntur. Plato Theæt. 152 D hæc: *ἐγὼ ἐρῶ καὶ μάλ' οὐ φαῦλον λόγον, ὡς ἄρα ἓν μὲν αὐτὸ καϑ' αὑτὸ οὐδέν ἐστιν, οὐδ' ἄν τι προσείποις ὀρϑῶς οὐδ' ὁποιονοῦν τι, ἀλλ', ἐὰν ὡς μέγα προσαγορεύῃς, καὶ σμικρὸν φανεῖται, καὶ ἐὰν βαρὺ, καὶ κοῦφον, ξύμπαντά τε οὕτως, ὡς μηδενὸς ὄντος ἑνὸς μήτε τινὸς μήτε ὁποιονοῦν. ἐκ δὲ δὴ φορᾶς τε καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάντα ἃ δή φαμεν εἶναι, οὐκ ὀρϑῶς προσαγορεύοντες· ἔστι μὲν γὰρ οὐδέποτ' οὐδὲν, ἀεὶ δὲ γίγνεται. καὶ περὶ τούτου πάντες ἑξῆς οἱ σοφοὶ πλὴν Παρμενίδου ξυμφέρεσϑον, Πρωταγόρας τε καὶ Ἡράκλειτος καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι . . . .* Cfr Theæt. 156 E: *αὐτὸ μὲν καϑ' αὑτὸ μηδὲν εἶναι . . . ἐν δὲ τῇ πρὸς ἄλληλα ὁμιλίᾳ πάντα γίγνεσϑαι καὶ παντοῖα ἀπὸ τῆς κινήσεως . . . . τὸ δ' εἶναι πανταχόϑεν ἐξαιρετέον.* Heraclitus, quum — omni *εἶναι* sublato, omnibus rebus æterno *γίγνεσϑαι* solutis, omnibus rerum terminis adeo radicitus evulsis, ut verbis *οὕτω* vel *οὐχ οὕτω* uti non liceret [1]), quod nihil esset vel potius *fieret*, unum magis quam alterum — id sibi animo effingeret æternum universi flumen, quo omnia obruerentur, tum vero æternam *κίνησιν* voluit eandem fontem esse et principium omnium rerum, quæ essent: id est autem: fierent, nascerentur, orerentur: motum enim flumenque fontem esse perennem vitæ semper renascentis. Alia enim unda submersa alia emergit: omnia, ut in æterno flumine pereunt, ita ex eodem oriuntur. Quæ legimus Theæt. 152 D: *ἐκ φορᾶς τε καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάντα:* motus et mutatio vis est procreatrix. »Nascentia omnia et ipsum *γίγνεσϑαι* quæque esse viden-

1) Theæt. 183 A.

tur, procreat motus: Theæt. 153 A *τὸ μὲν εἶναι δοκοῦν καὶ τὸ γίγνεσθαι κίνησις παρέχει, τὸ δὲ μὴ εἶναι καὶ ἀπόλλυσθαι ἡσυχία.* Affert Heraclitus exempla. Motus, inquit, corporis valetudini prodest. Neque minus utilis est menti suus ac proprius motus, qui est *μάθησις* et *μελέτη*. Malacia et tranquillitate res putrescunt, ventorum flatu integræ permanent. Concludit igitur Heraclitus: l. c. *τὸ μὲν ἄρα ἀγαθὸν κίνησις κατά τε ψυχὴν καὶ κατὰ σῶμα, τὸ δὲ τοὐναντίον.* Movetur igitur perpetuo motu universum, vel *est* ipsum motus ille perpetuus, qui undis alia aliam supervenientibus, nova genera novasque species *τοῦ γίγνεσθαι* in æternum procreat.

Qualem sibi *τὴν κίνησιν* formaverit Heraclitus, Plato aperit Sympos. 187 A, ubi Eryximachum facit dicentem: *μουσικὴ δὲ καὶ παντὶ κατάδηλος τῷ καὶ σμικρὸν προσέχοντι τὸν νοῦν, ὅτι κατὰ ταὐτὰ ἔχει τούτοις, ὥσπερ καὶ Ἡράκλειτος λέγειν βούλεται, ἐπεὶ τοῖς γε ῥήμασιν οὐ καλῶς λέγει. τὸ ἓν γάρ φησι διαφερόμενον αὐτῷ ξυμφέρεσθαι ὥσπερ ἁρμονίαν τόξου τε καὶ λύρας* . . . . et Soph. 242 C: *Ἰάδες δὲ καὶ Σικελαί τινες ὕστερον Μοῦσαι ξυννενοήκασιν, ὅτι συμπλέκειν ἀσφαλέστερον ἀμφότερα καὶ λέγειν, ὡς τὸ ὂν πολλά τε καὶ ἕν ἐστιν, ἔχθρᾳ δὲ καὶ φιλίᾳ συνέχεται. διαφερόμενον γὰρ ἀεὶ ξυμφέρεται, φασὶν αἱ ξυντονώτεραι τῶν Μουσῶν . . . . κτλ.* Ens igitur Heraclitus voluit *διαφέρεσθαι*: dilabi, discedere in multitudinem infinitam, idemque *ἀεὶ ξυμφέρεσθαι*: contrahi semper et in unum cogi. Simul enim dilabitur ens cogiturque: *διαφερόμενον ἀεὶ ξυμφέρεται*: est enim universi *διαφέρεσθαι* idem *ξυμφέρεσθαι*: ea universi natura est, ut genera illa modique motus separari non possint, sed æternis vinculis inter se copulata sint. »Ens« igitur [1]) vel »unum« [2]), quod Plato universum Hera-

1) Soph. 242 C. 2) Sympos. 187 A.

cliti appellat, quasi vinculum est unitatis et multitudinis, quippe quod motum in multa dilabentem rursusque in unum revertentem: *τὸ διαφέρεσθαι* et *τὸ ξυμφέρεσθαι*, in se contineat. Unitatem illam contrariorum momentorum Heraclitus harmoniam quandam esse et quasi intentionem voluit: eodem enim modo, quo arcus et lyra intenderentur, universi quoque harmoniam effici [1]). Duorum momentorum — viam *ἄνω* et viam *κάτω* ipse appellat Heraclitus [2]) — harmonia contentioque est unitas motus, vel ipse motus. Moventur enim omnia duabus quasi viis, *ἄνω καὶ κάτω*, duobus momentis, *τῷ διαφέρεσθαι* et *τῷ ξυμφέρεσθαι*, sed ipse motus unus est, unum ens, quod movetur, una *οὐσία φερομένη* [3]), quæ per modorum generumque — *τροπῶν* — infinitatem et undarum multitudinem movetur. Unam esse Heracliti *οὐσίαν φερομένην* Plato aperte dicit Soph. 251 A—252 B, ubi eos, qui, »universum et contrahentes et distrahentes«, Eleatarum unitati opponant ens quod unum sit idemque multa, in duo genera dividit, illosque commemorat multa ex uno oriri voluisse et in unum reduci, hos ex certis definitisque elementis provenire multa et in eadem rursus solvi [4]). Empedoclem Heraclito opponi apparet. Hic autem dicitur ex uno multa nasci et in unum reduci docuisse, semperque *τὰ πάντα* contrahi — *συντίθεσθαι* — eadem-

1) Doctos viros imaginem arcus et lyræ alium alio modo esse interpretatos, Zeller monet I. p. 598. Ipse verba hoc modo interpretatur: »das Gefüge der Welt beruht auf entgegengesetzter Spannung, wie das des Bogens und der Leyer«.

2) Cfr Phileb. 43 A: *ὥς οἱ σοφοί φασιν· ἀεὶ γὰρ ἅπαντα ἄνω τε καὶ κάτω ῥεῖ . . . .*

3) Theæt. 177 C.

4) L. c. *ὅσοι τοτὲ μὲν ξυντιθέασι τὰ πάντα, τοτὲ δὲ διαιροῦσιν, εἴτε εἰς ἓν καὶ ἐξ ἑνὸς ἄπειρα, εἴτε εἰς πέρας ἔχοντα στοιχεῖα διαιρούμενοι καὶ ἐκ τούτων συντιθέντες . . . .*

que distrahi — *διαιρεῖσθαι:* i. e. autem *ξυμφέρεσθαι* et *διαφέρεσθαι*. Uno igitur motu, Heraclitum si audimus, universum movetur, eoque, qui contrariis momentis semper intentis semperque relaxatis contineatur. Momentorum autem alterum, quasi foras versum, multa procreat, vel potius *fit*, alterum, domum revertens, in unitatem reducit et reducitur. Unitas ipsa momentorum sive »viarum« [1]) est Heracliti universum [2]). — Platonem Heracliti rationem quam verissime exposuisse testimonio sunt fragm. Heracl. 39, 44 [3]), 83 [4]), 87 [5]) aliaque.

Quam rationem ita æstimat, ut reliquis decretis prætermissis unum illud: omnia moveri, respiciat. Parmenidem Heraclito anteponere Platonem apparet. Huius enim de flumine omnivoro decretum tam mirum Platoni tamque insanum videtur, ut »fluentes« [6]) illos verba deficere [7]) dicat. Quæ ratione Heracliti probata sequantur, ostendit [8]) evincitque *κινήσεως* nomine duas res contineri: *φορὰν* et *ἀλλοίωσιν*. Heracliteis efficit, si sibi ipsi constare velint

1) Quam »indifferenspunkt« nostrates dixerint.

2) Ad Sympos. 187 A et Soph. 242 C. Quid sit verbi *ξυμφέρεται* subiectum, ambigitur. Zeller, qui Hippolyti textum recepit: fr. 93 *οὐ ξυνίασι, ὅκως διαφερόμενον ἑωυτῷ ὁμολογέει· παλίντροπος ἁρμονίη τόξου καὶ λύρης* — fieri potuisse negat, ut verba, quæ apud Platonem subiecti loco posita sunt, ipse ita posuerit Heraclitus: »τὸ ὄν« dicit et »τὸ ἕν«. Putat enim ipsum *διαφερόμενον* subiectum esse.

3) *πόλεμος πάντων μὲν πατήρ ἐστι, πάντων δὲ βασιλεύς, καὶ τοὺς μὲν θεοὺς ἔδειξε, τοὺς δὲ ἀνθρώπους, τοὺς μὲν δούλους ἐποίησε, τοὺς δὲ ἐλευθέρους.*

4) *ποταμοῖς τοῖς αὐτοῖς ἐμβαίνομέν τε καὶ οὐκ ἐμβαίνομεν, εἶμέν τε καὶ οὐκ εἶμεν.*

5) *ἀλλοιοῦται δὲ ὅκωσπερ ὁκόταν συμμιγῇ θυώματα θυώμασι· ὀνομάζεται καθ' ἡδονὴν ἑκάστου.*

6) *τοὺς ῥέοντας.*

7) Theæt. 183 A.

8) Theæt. 181 C—183 C.

docendum esse: *πάντα πᾶσαν κίνησιν κινεῖσθαι*, esseque absurda quæ sequantur. Heracliteos dicit philosophandi assiduitate turbatos, quum ipsi vertigine correpti essent, vertigine illa laborare res externas putavisse neque intellexisse causam falsæ opinionis esse mentis infirmitatem [1]. Sæpissime eos dicit quasi morbo quodam esse affectos appellatque *τοὺς κατάῤῥῳ νοσοῦντας, τοὺς ῥέοντας*. id genus alia. Plato, cur »fluentium» illorum disciplinam ægre ferat, ipse causam affert, quod cognitionem tollant omnem. Cfr Soph. 248--249 D. Cratyl. 439 C sqq. Ubi: *ὡς οὐδὲν ὑγιὲς οὐδενός, ἀλλὰ πάντα ὥσπερ κεράμια ῥεῖ, καὶ ἀτεχνῶς ὥσπερ οἱ κατάῤῥῳ νοσοῦντες ἄνθρωποι, οὕτως οἴεσθαι καὶ τὰ πράγματα διακεῖσθαι, ὑπὸ ῥεύματός τε καὶ κατάῤῥου πάντα χρήματα ἔχεσθαι.* Cui decreto aliud Socrates opponit, quod sibi per somnum se obtulerit. *Πότερον* inquit — *φῶμέν τι εἶναι αὐτὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν καὶ ἓν ἕκαστον τῶν ὄντων οὕτως ἢ μή:* Quod decretum efficit prorsus contrarium esse Heracliti doctrinæ, quæ nullum perferre possit *αὐτὸ καθ' αὑτό*, nullum *ἀεὶ ὡσαύτως ἔχον*. Quam doctrinam, quum nullum ens per se accipiat, necesse esse nullam cognitionem — *γνῶσιν* -- accipere. Quæ enim cognitione cognoscenda sint, perpetua mutatione mutari Heracliteos velle: quæ quum ita sint, sequi, ut in ipso cognitionis momento immutentur: *ἅμα γὰρ ἂν ἐπιόντος τοῦ γνωσομένου ἄλλο καὶ ἀλλοῖον γίγνοιτο.* Neque — ut *rerum* mutationem omittamus --- ipsa cognitio firma manet stabilisque: ipsa æterno flumine mergatur necesse est: nihil

1) Cratyl. 411 B C: *ὑπὸ τοῦ πυκνὰ περιστρέφεσθαι ζητοῦντες, ὅπῃ ἔχει τὰ ὄντα, ἀεὶ ἰλιγγιῶσι, κἄπειτα αὐτοῖς φαίνεται περιφέρεσθαι τὰ πράγματα καὶ πάντως φέρεσθαι· αἰτιῶνται δὴ οὐ τὸ ἔνδον τὸ παρὰ σφίσι πάθος αἴτιον εἶναι ταύτης τῆς δόξης, ἀλλ' αὐτὰ τὰ πράγματα οὕτω πεφυκέναι, οὐδὲν αὐτῶν μόνιμον εἶναι, οὐδὲ βέβαιον, ἀλλὰ ῥεῖν καὶ φέρεσθαι καὶ μεστὰ εἶναι πάσης φορᾶς καὶ γενέσεως ἀεί* ....

enim permanet: ne cognitio quidem cognitio ut maneat, fieri potest. Immutetur igitur *γνῶσις* necesse est desinatque *γνῶσις* esse. Quibus collatis Plato ratione Heracliti omnem everti cognitionem efficit tollique *νοῦν*, *ἐπιστήμην*, *φρόνησιν* Soph. 248—249 D. Quam rationem ægri somnia vana remoturam Heracliteorum Plato opponat rationi, vidimus. Idearum disciplinam — quam Socrates in somnis viderat — doctrinam specierum illarum, quæ per se sint semper, Plato significat.

Decreto *κινήσεως* Heraclitum suum in philosophia obtinere locum Plato vult. Mirum igitur non est, si eum sæpissime commemorat docuisse: *πάντα πάντως φέρεσθαι*. Motus formam modumque qualem sibi formaverit Heraclitus, ex Platone cognovimus: *τὸ διαφερόμενον ἀεὶ ξυμφέρεσθαι* dico. Deinde vero sequitur, ut quæramus, *quid sit*, quod Heraclitus perpetuo motu moveri vult. Sitne ipsum fieri, ipsum moveri, ipsum mutari, *γίγνεσθαι* ipsum, quod fiat, moveatur, mutetur, ut sit disciplina Heracliti pura quædam »Philosophie des Werdens», quæ, nulla corporali natura motui mutationique subiecta, *τὴν κίνησιν* purum quoddam *γίγνεσθαι* esse statuat, quæritur, an *ὑποκείμενον* quoddam subiecerit, quod moveatur, cuiusque *τροπαὶ* motus momenta sint? Quum aliorum testimoniis huiusmodi motum statuisse Heraclitum compertum habeamus, tum ex ipsius maxime fragmentis apparet. Nam decreto: »omnia moventur», hoc subiunxit: »omnia ignis sunt», »universum ignis est sempervivus». Cfr fragm. 27: *κόσμον τὸν αὐτὸν ἁπάντων οὔτε τις θεῶν οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν· ἀλλ' ἦν ἀεὶ καὶ ἔσται, πῦρ ἀείζωον, ἁπτόμενον μέτρῳ καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρῳ.* Mundum animo sibi effinxit Heraclitus imagine fluminis æterni, sed ignei fluminis: undas fluminis ignis movet, suntque ipsæ nihil nisi variæ ignis *τροπαί:*

motus æternus *est* ignis [1]). Plato ignem Heracliteum, quum minus sæpe commemoret, satis tamen aperte satisque dilucide significat. Loco, quem iam attulimus Theæt. 153 A, ubi legimus: *τὸ μὲν εἶναι δοκοῦν καὶ τὸ γίγνεσθαι κίνησις παρέχει* — hæc quoque inveniuntur: *τὸ γὰρ θερμόν τε καὶ τὸ πῦρ, ὃ δὴ καὶ τἆλλα γεννᾷ καὶ ἐπιτροπεύει, αὐτὸ γεννᾶται ἐκ φορᾶς καὶ τρίψεως . . . . κτλ.* Ubi Heracliti de igne sententiam respici apparet: ille enim omnia »procreare et gubernare« ignem statuit: natura ipsa, quæ motu movetur fluitque in æterno flumine, ignis est. Accuratius decretum de igne exponitur Cratyl. 412 C—413 D. Socrates enim, unde ducta sint verba, investigans venit ad verba *δικαιοσύνη* et *δίκαιον*. De quorum origine hæc Socrates: *αὐτὸ δὲ τὸ δίκαιον χαλεπόν. καὶ γὰρ δὴ καὶ ἔοικε μέχρι μέν του ὁμολογεῖσθαι παρὰ πολλῶν, ἔπειτα δὲ ἀμφισβητεῖσθαι. ὅσοι γὰρ ἡγοῦνται τὸ πᾶν εἶναι ἐν πορείᾳ, τὸ μὲν πολὺ αὐτοῦ ὑπολαμβάνουσι τοιοῦτόν τι εἶναι, οἷον οὐδὲν ἄλλο ἢ χωρεῖν, διὰ δὲ τούτου παντὸς εἶναί τι διεξιόν, δι᾽ οὗ πάντα τὰ γιγνόμενα γίγνεσθαι. εἶναι δὲ τάχιστον τοῦτο καὶ λεπτότατον. οὐ γὰρ ἂν δύνασθαι ἄλλως διὰ τοῦ ἰόντος ἰέναι παντός, εἰ μὴ λεπτότατόν τε ἦν, ὥστε αὐτὸ μηδὲν στέγειν. καὶ τάχιστον, ὥστε χρῆσθαι ὥσπερ ἑστῶσι τοῖς ἄλλοις. ἐπεὶ δ᾽ οὖν ἐπιτροπεύει τὰ ἄλλα πάντα*

---

1) Quæ Zeller præclare exponit I. p. 585: der metaphysische Satz vom Fluss aller Dinge wird nun aber unserem Philosophen sofort zu einer physikalischen Anschauung. Das lebendige und bewegte in der Natur ist ihm das Feuer: wenn alles in unaufhörlicher Bewegung und Veränderung ist, so folgt, dass alles Feuer ist; und dieser Satz wird bei Heraklit, wie wir annehmen müssen, aus jenem ersten nicht durch bewusste Reflexion erschlossen, sondern das Gesetz der Veränderung, das er überall wahrnimmt, stellt sich ihm durch eine unmittelbare Wirkung der Einbildungskraft unter jener symbolischen Anschauung dar, deren allgemeine Bedeutung er aus diesem Grunde für sein eigenes Bewusstsein von der sinnlichen Form, in die sie gefasst ist, noch nicht zu trennen weiss.

διαϊόν, τοῦτο τὸ ὄνομα ἐκλήθη ὀρθῶς δίκαιον, εὐστομίας ἕνεκα τὴν τοῦ κ δύναμιν προσλαβόν[1]. De his, inquit, consentiunt, qui universum moveri volunt. Quum autem ex iisdem quæro, quid sit iustum illud — *δίκαιον καὶ αἴτιον* — alius aliud profert: *ὃ μὲν γάρ τίς φησι τοῦτο εἶναι τὸ δίκαιον, τὸν ἥλιον· τοῦτον γὰρ μόνον διαϊόντα καὶ κάοντα ἐπιτροπεύειν τὰ ὄντα. ἐπειδὰν οὖν τῳ λέγω αὐτὸ ἄσμενος ὡς καλόν τι ἀκηκοώς, καταγελᾷ μου οὗτος ἀκούσας καὶ ἐρωτᾷ, εἰ οὐδὲν δίκαιον οἶμαι εἶναι ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ἐπειδὰν ὁ ἥλιος δύῃ. λιπαροῦντος οὖν ἐμοῦ ὅτι αὖ ἐκεῖνος λέγει, αὐτὸ τὸ πῦρ φησί· τοῦτο δὲ οὐ ῥάδιόν ἐστιν εἰδέναι. ὁ δὲ οὐκ αὐτὸ τὸ πῦρ φησίν, ἀλλ' αὐτὸ τὸ θερμὸν τὸ ἐν τῷ πυρὶ ἐνόν.* Heracliteum ignem loco nobilissimo significari apparet. Dicuntur igitur omnes, qui, quæ sint, mutari velint, aliquam esse naturam putare, quæ quasi per omnem pervadat motum. Plurima enim motus momenta modique nihil sunt nisi id ipsum: modi motus et momenta: *τὸ μὲν πολὺ αὐτοῦ ...... οἷον οὐδὲν ἄλλο ἢ χωρεῖν.* Sed omnia pervadens illa natura et penetrans *una* est, ex qua evanescentia *γιγνόμενα* nascuntur. Quam naturam rem esse omnium subtilissimam et celerrimam oportet, ut cetera omnia — quum ipsa quoque perpetuo motu moveantur — ad eius tamen subtilitatem

---

1) Ipsum Heraclitum originationis verbi *δικαίον* auctorem esse, quod Zellero quoque placere video, veri simile est. Cfr fragmenta, quibus perspectis apparebit ignem suum, mythorum involucris velatum, principium universi esse ipsum voluisse. Cfr Fr. Her. 50: *τά δὲ πάντα οἰακίζει κεραυνός*, et fr. 51: *πάντα γὰρ τὸ πῦρ ἐπελθὸν κρινέει καὶ καταλήψεται.* Quibus subiungendum est fortasse fr. 80, quod alio modo interpretari equidem non possum, quum, qui locum servavit, Clem. Strom. IV. 3. p. 568 ita verba posuerit, ut, quid sibi velint, non appareat. Sunt autem: *Δίκης ὄνομα οὐκ ἂν ἤδεσαν, εἰ ταῦτα μὴ ἦν*: »nisi id — æternus ignis — esset, ne nomen quidem Iustitiæ cognitum haberent».

celeritatemque quiescant: *τάχιστον ὥστε χρῆσθαι ὥσπερ ἑστῶσι τοῖς ἄλλοις.* Natura illa, per omnia pervadens, per mota omnia et nascentia penetrans, subtilissima celerrimaque, regit eadem omnia atque gubernat: *ἐπιτροπεύει τὰ ἄλλα πάντα διαϊόν*, cfr Theæt. 153 A. Nobilissimum locum legentes videmur Heracliti rationem nasci videre. Quid sibi velit ignis decretum, videmus. Undis alia aliam supervenientibus, in perpetua omnium rerum mutatione *unum* tamen esse vult, quod *unum* sit: ipsam undationem, ipsum flumen, motum ipsum, qui omnibus celerior undis omnia pervadat regatque et gubernet. Quam tamen fluminis motusque perennitatem sola mente percipere non potuit: imagines adhibuit resque sensibus subiectas: motum omnia penetrantem et regentem simplex Ephesii et nativa sapientia materiam quandam esse tenuissimam et celerrimam statuit. Eiusmodi autem principio et materia usus est igne. Pergit enim Socrates hoc fere modo. Quid sit, inquit *τάχιστον καὶ λεπτότατον* illud, dissentiunt: hic solem esse putat, ignem ille, tertius igneam ignis vim ipsam *δίκαιον* esse illud idemque subtilissimum et celerrimum. Fieri potest, ut Plato hoc loco diversas fuisse familiæ Heracliteæ sectas significet. Veri similius mihi quidem videtur, tres illas sententias non esse factionum contrariarum capita, sed viæ rationisque ipsius Heracliti quasi momenta. Nam si quis solem esse *δίκαιον* illud et *αἴτιον* voluerit, vera Heracliti et genuina ratio, refugiatne sole occidente iustum omne, quæret. Immo enimvero *δίκαιον καὶ αἴτιον* illud esse oportet, quod numquam occidat — quod nihil est nisi ignis æternus[1]). Neque tamen qui ignem esse *τὸ δίκαιον*

1) Cfr Fr. Her. 48: *τὸ μὴ δῦνον πῶς ἄν τινα λάθοι*; (sic Mullach et Schleiermacher: vulgo *τις*) »Sol», inquit, »quotidie evanescit: quod vero numquam occidit, numquam evanescit neque refugit».

responderit, satis accurate rem explicaverit, quum dubitari possit, sitne ignis hic quotidianus[1]) *τὸ δίκαιον καὶ αἴτιον*. At qui per omnia pervadit ignis gubernatque omnia, ipsa est ignea vis: *αὐτὸ τὸ θερμὸν τὸ ἐν τῷ πυρὶ ἐνόν*[2]). Cuius modi — *τροπαί* — sunt hic ignis et aqua et terra[3]). Plato igitur, si quid video, hoc loco rationem Heracliti quasi nascentem exponit: *τὸ αἴτιον ἐστὶ πῦρ* — definitque accuratius *πῦρ* illud, ut sit *τὸ θερμὸν τὸ ἐν τῷ πυρὶ ἐνόν*. Et videtur significare, ipsum Heraclitum ignem suum numquam occidentem comparavisse cum sole, quem quotidie consumi voluerit. — Fieri posse, ut diversæ Heracliteorum factiones respiciantur, concedo.

Docueritne Heraclitus omnia esse ignem quæritur, an per motum æternum *a ceteris diversam* pervadere naturam, eamque esse ignem voluerit? At *uno* motu omnia in omnia mutari Heraclitum docuisse quum ceteri scriptores testes sint, tum Plato maxime commemorat. Quæ quum ita sint, locus Cratyli ita accipiendus est, ut, quod moveretur, quod motui subiectum esset et quasi substratum, motum denique ipsum, esse ignem Heraclitus voluisse dicatur — sed eum, qui momento distractionis, *τῷ διαφέρεσθαι*, in multitudinem rerum ipsi *quodam modo* contrariarum distraheretur[4]), rursusque contractionis momento, *τῷ ξυμφέρεσθαι*, omnes *τροπάς*, modos omnes ad igneam unitatem reduceret.

---

1) »Den elementariska elden» nostrates dixerint.

2) Cfr Aristot. Meteorol. I. 3, ubi de *ἀτμίδος* et *ἀναθυμιάσεως* dissimilitudine disputat: .... *ἀναθύμιασις, οἷον δυνάμει πῦρ.*

3) Fr. 28: *πυρὸς τροπαὶ πρῶτον θάλασσα, θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἥμισυ γῆ, τὸ δὲ ἥμισυ πρηστήρ.*

4) Nos: »föryttrar sig själf till sitt — relativa — annatvara».

Collatis Platonis testimoniis hanc fuisse Heracliti sententiam apparet. Universum est motus, unus, sed qui contrariis momentis movetur, et foras in multitudinem infinitam distractus et ad unitatem reductus; estque motus ille idem sempervivus ignis, qui æterna mutatione immutatur in *τροπάς*, quæ aliqua ex parte non ignis sunt, renasciturque semper ignis: idque eadem vi eademque æterna actione: *διαφερόμενον γὰρ ἀεὶ ξυμφέρεται.* Quæ omnia firmant fragmenta Heracliti quæ supersunt. Platonem apparet accuratissime expressisse rationem philosophi, cuius verba sunt hæc: fr. 45: *συνάψειας οὖλα καὶ οὐχὶ οὖλα, συμφερόμενον καὶ διαφερόμενον, συνᾷδον καὶ διᾷδον καὶ ἐκ πάντων ἓν καὶ ἐξ ἑνὸς πάντα.*

In singulis physicæ rebus investigandis minus copiosus fuisse Heraclitus videtur. Unum Plato commemorat decretum: putasse eum quotidie renasci solem. Republ. 498 A: *πρὸς δὲ τὸ γῆρας — ἐκτὸς δή τινων ὀλίγων — ἀποσβέννυνται πολὺ μᾶλλον τοῦ Ἡρακλειτείου ἡλίου, ὅσον αὖθις οὐκ ἐξάπτονται.* Docuit igitur Heraclitus exstingi quotidie solem atque consumi rursusque renasci. Solem putavit exardescentibus novis vaporibus condensatis renasci[1][2].

Heraclitum multi videntur esse secuti. Familia, Platonem si audimus, usque ad quarti sæculi initium florebat. Mutave-

1) Quam sententiam forsitan respiciant Leg. 898 A, ubi solis »anima» dicitur: *ἤ ποθεν ἔξωθεν σῶμα αὐτῇ πορισαμένη πυρὸς ἤ τινος ἀέρος, ὥς λόγος ἐστί τινων.* Potest tamen, ut alii — velut Anaximander — significentur.

2) Ex Pseudo-Plat. Hipp. Mai. 289 A. B. hæc posuisse liceat: *ὦ ἄνθρωπε, ἀγνοεῖς, ὅτι τὰ τοῦ Ἡρακλείτου εὖ ἔχει, ὡς ἄρα πιθήκων ὁ κάλλιστος αἰσχρὸς ἄλλῳ* — sic vulgo; Becker et Mullach emend. *ἀνθρώπων — γένει συμβάλλειν .....* et: *ἢ οὐ καὶ Ἡράκλειτος ταὐτὸν τοῦτο λέγει, ὃν σὺ ἐπάγει, ὅτι ἀνθρώπων ὁ σοφώτατος πρὸς θεὸν πίθηκος φανεῖται;* Quid sibi velint verba, satis perspicuum est. Qua continuatione posita sint, ignoramus.

rintne Heraclitei rationem Heracliti, Plato non aperit: videntur autem id unum egisse, ut *κινήσεως* decretum ad insaniora etiam et absurdiora deducerent. Audiamus quæ Plato de »*πάντα ῥεῖ*« clamitantibus commemorat Theæt. 179 D. *ΣΩ. προσιτέον οὖν ἐγγυτέρω, ὡς ὁ ὑπὲρ Πρωταγόρου λόγος ἐπιτάττει, καὶ σκεπτέον τὴν φερομένην ταύτην οὐσίαν διακρούοντα, εἴτε ὑγιὲς εἴτε σαθρὸν φθέγγεται· μάχη δ' οὖν περὶ αὐτῆς οὐ φαύλη οὐδ' ὀλίγοις γέγονε. ΘΕΟΔ. πολλοῦ καὶ δεῖ φαύλη εἶναι, ἀλλὰ περὶ μὲν Ἰωνίαν καὶ ἐπίδιδωσι πάμπολυ. οἱ γὰρ τοῦ Ἡρακλείτου ἑταῖροι χορηγοῦσι τούτου τοῦ λόγου μάλα ἐρρωμένως. ΣΩ. τῷ τοι, ὦ φίλε Θεόδωρε, μᾶλλον σκεπτέον καὶ ἐξ ἀρχῆς ὥσπερ αὐτοὶ ὑποτείνονται. ΘΕ. παντάπασι μὲν οὖν. καὶ γάρ, ὦ Σώκρατες, περὶ τούτων τῶν Ἡρακλειτείων, ἢ ὥσπερ σὺ λέγεις Ὁμηρείων καὶ ἔτι παλαιοτέρων, αὐτοῖς μὲν τοῖς περὶ τὴν Ἔφεσον, ὅσοι προσποιοῦνται ἔμπειροι εἶναι, οὐδὲν μᾶλλον οἷόν τε διαλεχθῆναι ἢ τοῖς οἰστρῶσιν. ἀτεχνῶς γὰρ κατὰ τὰ συγγράμματα φέρονται, τὸ δ' ἐπιμεῖναι ἐπὶ λόγω καὶ ἐρωτήματι καὶ ἡσυχίως ἐν μέρει ἀποκρίνασθαι καὶ ἐρέσθαι ἧττον αὐτοῖς ἔνι ἢ τὸ μηδέν. μᾶλλον δὲ ὑπερβάλλει τὸ οὐδ' οὐδὲν πρὸς τὸ μηδὲ σμικρὸν ἐνεῖναι τοῖς ἀνδράσιν ἡσυχίας. ἀλλ' ἄν τινά τι ἔρῃ, ὥσπερ ἐκ φαρέτρας ῥηματίσκια αἰνιγματώδη ἀνασπῶντες ἀποτοξεύουσι, κἂν τούτου ζητῇς λόγον λαβεῖν, τί εἴρηκεν, πεπλήξει καινῶς μετωνομασμένῳ, περανεῖς δὲ οὐδέποτε οὐδὲν πρὸς οὐδένα αὐτῶν· οὐδέ γε ἐκεῖνοι πρὸς ἀλλήλους, ἀλλ' εὖ πάνυ φυλάττουσι τὸ μηδὲν βέβαιον ἐᾶν εἶναι μήτ' ἐν λόγῳ μήτ' ἐν ταῖς αὐτῶν ψυχαῖς, ἡγούμενοι, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, αὐτὸ στάσιμον εἶναι. τούτῳ δὲ πάνυ πολεμοῦσι, καὶ καθ' ὅσον δύνανται πανταχόθεν ἐκβάλλουσιν. ΣΩ. ἴσως, ὦ Θεόδωρε, τοὺς ἄνδρας μαχομένους ἑώρακας, εἰρηνεύουσι δὲ οὐ συγγέγονας· οὐ γάρ σοι ἑταῖροί εἰσιν. ἀλλ' οἶμαι, τὰ τοιαῦτα τοῖς μαθηταῖς ἐπὶ σχολῆς φράζουσιν, οὓς*

ἂν βούλωνται ὁμοίους αὐτοῖς ποιῆσαι. ΘΕ. ποίοις μαθηταῖς, ὦ δαιμόνιε; οὐδὲ γίγνεται τῶν τοιούτων ἕτερος ἑτέρου μαθητής, ἀλλ' αὐτόματοι ἀναφύονται, ὁπόθεν ἂν τύχῃ ἕκαστος αὐτῶν ἐνθουσιάσας, καὶ τὸν ἕτερον ὁ ἕτερος οὐδὲν ἡγεῖται εἰδέναι. παρὰ μὲν οὖν τούτων, ὅπερ ᾖα ἐρῶν, οὐκ ἄν ποτε λάβοις λόγον οὔτε ἑκόντων οὔτε ἀκόντων. αὐτοὺς δὲ δεῖ παραλαβόντας ὥσπερ πρόβλημα ἐπισκοπεῖσθαι. ΣΩ. καὶ μετρίως γε λέγεις. τό γε δὴ πρόβλημα ἄλλο τι παρειλήφαμεν παρὰ μὲν τῶν ἀρχαίων μετὰ ποιήσεως ἐπικρυπτομένων τοὺς πολλούς, ὡς ἡ γένεσις τῶν ἄλλων πάντων Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ῥεύματα τυγχάνει καὶ οὐδὲν ἕστηκε, παρὰ δὲ τῶν ὑστέρων ἅτε σοφωτέρων ἀναφανδὸν ἀποδεικνυμένων, ἵνα καὶ οἱ σκυτοτόμοι αὐτῶν τὴν σοφίαν μάθωσιν ἀκούσαντες καὶ παύσωνται ἠλιθίως οἰόμενοι τὰ μὲν ἑστάναι, τὰ δὲ κινεῖσθαι τῶν ὄντων, μαθόντες δ' ὅτι πάντα κινεῖται τιμῶσιν αὐτούς; Furorem imitatorum fanaticorum præclare exprimit. Quum enim in ipsum Heraclitum numquam invehatur acerbius, spernit et odit epigonos illos, qui, ut »fluentium» sacris stultissimum quemque initient, sibi proposuerint. Religiosissime, inquit, asseclæ isti, præcepta verbaque magistri servant: ipsorum enim cogitationem apparet flumini rapaci esse subiectam: nihil est in iis, quod firmum sit et stabile: insanorum similes oracula fundunt obscura et ambigua. Ex ipsa terra velut fungi nascuntur: nemo discipulus est, nemo magister [1]).

1) Unus vir in furentium turba eminet: Cratylus. In Cratylo dialogo iuvenis inducitur 440 D: ἔτι γὰρ νέος εἶ καὶ ἡλικίαν ἔχεις. Athenis natus erat patre Smicrione: ibid. 429. — Agitur in dialogo de nominum veritate: περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος. Dubium est, quantum sit eorum, quæ dicuntur, Cratyli aliorumque Heracliti assectatorum, quantum ipsius Platonis. Quæ licet diiudicare non possimus, id certe verisimile est, sententiam, quam in dialogo defendendam suscepit Cratylus, Heracliteorum fuisse. Quam sententiam Hermogenes exponit Cratyl. 383 A. B. Κρατύλος φησὶν ὅδε, ω Σώκρατες, ὀνόματος ὀρθό-

De Cratylo dialogo disputantes inquirentesque, quinam fuerint philosophi, quos Plato respexit, in variam et versicolorem sophistarum rationem incidimus. Quis enim dubitet, quin in Cratylo sophistæ sæpius respiciantur?

τητα εἶναι ἑκάστῳ τῶν ὄντων φύσει πεφυκυῖαν, καὶ οὐ τοῦτο εἶναι ὄνομα, ὃ ἄν τινες, ξυνθέμενοι καλεῖν, καλῶσι, τῆς αὑτῶν φωνῆς μόριον ἐπιφθεγγόμενοι, ἀλλὰ ὀρθότητά τινα τῶν ὀνομάτων πεφυκέναι καὶ Ἕλλησι καὶ βαρβάροις τὴν αὐτὴν ἅπασιν. Voluit igitur Cratylus »vera» esse nomina natura, non quasi ex convento quodam et pacto: *φύσει, ἀλλ' οὐ θέσει.* Quam senserit naturæ veritatem, ex iis, quæ sequuntur, apparet. Suspicari enim se Socrates fatetur, nomina qui primi imposuerint, fuisse Heracliteos Cratyl. passim, et 401 B sqq et 439 C: *τῷ ὄντι μὲν οἱ θέμενοι αὐτὰ διανοηθέντες ἔθεντο ὡς ἰόντων ἁπάντων ἀεὶ καὶ ῥεόντων — φαίνονται γὰρ ἔμοιγε καὶ αὐτοὶ οὕτω διανοηθῆναι....* A ratione Heraclitea profectus non nullas Plato tentavit originationes, quæ viros doctos semper turbaverunt. Exempla afferam: *φρόνησις* a »*φορᾶς καὶ ῥοῦ νόησις*» ductum, *αἰσχρόν = τὸ ἐμποδίζον καὶ ἴσχον τῆς ῥοῆς* = »*ἀεισχοροῦν*» ab *ἀεί, ἴσχειν, ῥοῦς* ductum, *συμφέρον = τὴν ἅμα φορὰν τῆς ψυχῆς μετὰ τῶν πραγμάτων, ἀλήθεια = θεία ἄλη* ... id genus alia. In quibus omnibus bonorum finem esse motum, summum malum quietem significat. Quæritur, respiciatne Plato grammatica studia rationemque Cratyli et aliorum Heracliteorum? Primum omnium, num sint illi in derivandis verbis et explicandis versati, ambigitur. Quæ si ita sint, explicaverintne a *κινήσεως* ratione profecti, incertum est. Virorum doctorum plerique grammatica studia philosophorum arbitrantur a Platone rideri, sed quinam fuerint illi philosophi, ambigitur. Schleiermacher, Einleitung z. Kratylos S. 4. Aufl. 2: »Dagegen ist nun freilich viel gewonnen durch die Entdeckung neuerer Zeiten, dass dem Platon eben auch dies alles nur Spiel gewesen und Scherz, und dass man, wie in mehreren seiner Werke, so auch hier nur keine erhabene Weisheit suchen müsse». Stallbaum Prolegg. ad Cratylum p. 15—18 rogitat: »quinam fuerint philosophi isti atque etymologi, qui in Cratylo ridentur et exploduntur». Neque Antisthenem credit neque Prodicum et Hippiam respici. Pergit hoc modo: »verum ut dicam, quid sentiam, recte vidit Fr. Astius, De Vita et Srciptis Plat. p. 267 sqq, exagitari hoc libro sophistas Heracliti doctrinæ de perpetuo rerum fluxu adstipulantes. Isti autem non alii profecto sunt quam Protagoræ amici ac discipuli». Vult igitur Protagoram ceterosque sophistas, qui ab Heracliti ratione profecti sint, hoc libro exagitari. Contra Grote: »Plato and the other companions of Socrates», vol. 2, »Kratylus», criticis illis opponit, quod Plato, si

Huius loci non est Platonis de illa ratione testimonia examinare: satis est commemorare, Platone teste rationem Protagoræ ex Heraclitea pendere. Platonem enim si audimus, decretum illud Protagoræ canonicum — quod dicunt — et morale: *ἄνθρωπος πάντων χρημάτων μέτρον* pendet ex Heracliti principio: *πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει*. Conferas velim quæ Theæt. 151 E—160 E copiose exponuntur. Ubi, qua necessitudine contineantur Heraclitus, Protagoras quique excultam et auctam Protagoræ rationem defendendam suscepit: Theætetus, Plato his verbis exponit: *παγκάλως ἄρα σοι εἴρηται ὅτι ἐπιστήμη οὐκ ἄλλο τί ἐστιν ἢ αἴσθησις, καὶ εἰς ταὐτὸν συμπέπτωκε κατὰ μὲν Ὅμηρον καὶ Ἡράκλειτον καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον φῦλον, οἷον ῥεύματα κινεῖσθαι τὰ πάντα, κατὰ δὲ Πρωταγόραν τὸν σοφώτατον πάντων χρημάτων ἄνθρωπον μέτρον εἶναι, κατὰ δὲ Θεαίτητον, τούτων οὕτως ἐχόντων, αἴσθησιν ἐπιστήμην εἶναι.* Cfr Theæt. 168 B. 177 C. 182 B. Quibus locis Heracliti doctrina dicitur primum in Cratyli aliorumque disciplinam immutata, deinde in Protagoræ rationem esse formata.

---

ita res se haberet, sibi ipse minus constaret rideretque se ipsum, ut qui nominum quandam esse veritatem ipse putaret. Pergit autem p. 521: »We find no proof, that the Sophists ever proposed such etymologies as those, which are here supposed to be ridiculed — or that they devoted themselves to etymology at all. If they etymologised, they would doubtless do so in the manner (to our judgment loose and fantastic) of their own time..... But what ground have we for presuming, that Platos views on the subject were more correct? and that etymologies, which to them appeared admissible, would be regarded by him as absurd and ridiculous?» Adde huc, quod ex *Eleatica* quoque disciplina profectus non nulla Plato verba derivare conatus est! — At hoc certe ponere licebit: Platonem significare voluisse Cratylum ipsum aliosque Heracliteos in verbis derivandis ita esse versatos, ut »verum» esse statuerent verbum quod derivatione et explicatione ad significationem suæ rationi consentaneam reducere possent.

Quo quum res perducta sit, huius commentationis fines sumus egressi.

Soph. 248—249 D Plato et Eleatas Megaricosque impugnat docentes, quod sit, immotum stare nullamque prorsus esse *κίνησιν*, et Heraclitum nullam esse *στάσιν*, sed omnia moveri statuentem. Ostendit enim et illos et hunc plus dicendo, quam veritas patiatur, remque in falsum augendo omnem evertere cognitionem scientiamque. Et qui primas agit partes, hospes Eleaticus, hoc modo concludit: *τῷ δὴ φιλοσόφῳ καὶ ταῦτα μάλιστα τιμῶντι πᾶσα, ὡς ἔοικεν, ἀνάγκη διὰ ταῦτα μήτε τῶν ἓν ἢ καὶ τὰ πολλὰ εἴδη λεγόντων τὸ πᾶν ἑστηκὸς ἀποδέχεσθαι, τῶν τε αὖ πανταχῇ τὸ ὂν κινούντων μηδὲ τὸ παράπαν ἀκούειν, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῶν παίδων εὐχήν, ὅσα ἀκίνητα καὶ κεκινημένα, τὸ ὄν τε καὶ τὸ πᾶν ξυναμφότερα λέγειν.* Apparet, cur Plato quaque ex parte Eleatarum rationem Heracliteæ opponat. Illorum significat »*πᾶν ἑστηκὸς*« esse, huius »*πᾶν κινούμενον*: illi categoriæ *στάσεως* patroni sunt, hic categoriæ *κινήσεως*: illi *entis* philosophiam profitentur, hic *fientis*: »Philosophie des Seins — Philosophie des Werdens«. Eo enim ipso suum in philosophia locum Eleatæ et Heraclitus obtinere Platoni videntur, quod rationes inter se contrarias professi sint: videntur enim utramque ipsius rationis partem quasi præformavisse. Nam Plato quum Eleatas putet *στάσεως* et »*τοῦ ὄντος αὐτοῦ καθ' αὑτό, ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντος*« patrocinium suscepisse, rursusque Heraclitum, *κινήσεως* patronum, doctrinam de *γίγνεσθαι* illo, quod omne tollat *εἶναι*, esse professum — dubitare non possumus, quin ipse perspexerit, quænam inter ipsius disciplinam et Eleatarum Heraclitique decreta intercederet ratio. Vult igitur Eleati-

eam doctrinam præparationem quandam esse et quasi præformationem sui ipsius de ente per se, de *ideis*, decreti, Heracliteam præformationem esse decreti de non ente sed fiente semper, de »altero» illo, (*θάτερον*) de »materia Platonica». Dubium non est, quin ipse, quam haberet ad Eleatas et Heraclitum inter se discrepantes rationem, viderit. Quæ ratio qualis esset, Herbart ingeniose explicavit verbis: »divide Heracliti *γένεσιν οὐσίᾳ* Parmenidis: habebis *ideas* Platonis» — malim equidem: »divide *οὐσίαν* Parmenidis Heracliti *γενέσει*: habebis *rationem* Platonis». Partes enim huius rationis et membra Parmenides et Heraclitus præformaverunt. Quorum disciplinæ quum suam quæque Platonicæ rationis partem, altera spreta, teneant, sequitur, ut quasi curtæ sint et mancæ, quæque perfecta et plena disciplina, quam quodammodo præformaverunt, tolli debent. Loco, quem attulimus, scriptum invenimus: »neque iis, qui ἓν *ἑστηκὸς* esse volunt, neque iis, qui *ὂν κινούμενον* esse statuunt, sapientiæ vere amans assentietur». Rationem curtas illas et mancas sententias supplendi et in perfectioris disciplinæ unitatem coniunctas reducendi aperit Plato, in Sophista dialogo de specierum communicatione disputando explicandoque, quid sit *τὸ μὴ ὄν* [1]), et mundum ab ideæ unitate et stabilitate diversum ita describendo, ut Heracliteam rationem appareat ducem esse secutum.

1) *Τὸ εἶδος τοῦ μὴ ὄντος.*

Philosophis, qui ea, quæ »minus subtiliter loquentes» *esse* dicimus, e motu et permixtione nasci velint, *Empedoclem* quoque annumerat Plato: Theæt 152 E [1] [2]. Empedoclem cum Heraclito opponit Parmenidi: Empedoclem vult in numero eorum esse, qui ens omne motu tollant putentque ens illud opinatum esse nihil nisi *τροπήν*: modum quendam evanescentem motus et momentum. Verba autem ipsa loci Theæt. Platonem indicant inter Heraclitum et Empedoclem distinguere: verbum enim *ξυμφέρεσθον duali* numero positum testimonio est, *eiusdem* rationis — disciplinæ *κινήσεως* — formas *inter se diversas* respici. Plato, quid inter Heracliti rationem et Empedocleam interesse putet, Soph, 242 aperit. Est autem locus: *Ἰάδες δὲ καὶ Σικελαί τινες ὕστερον Μοῦσαι ξυννενοήκασιν, ὅτι συμπλέκειν ἀσφαλέστατον ἀμφότερα καὶ λέγειν, ὡς τὸ ὂν πολλά τε καὶ ἕν ἐστιν, ἔχθρᾳ δὲ καὶ φιλίᾳ συνέχεται. διαφερόμενον γὰρ ἀεὶ ξυμφέρεται, φασὶν αἱ συντονώτεραι τῶν Μουσῶν· αἱ δὲ μαλακώτεραι τὸ μὲν ἀεὶ ταῦθ᾽ οὕτως ἔχειν ἐχάλασαν, ἐν μέρει δὲ τοτὲ μὲν ἓν εἶναί φασι τὸ πᾶν καὶ φίλον ὑπ᾽ Ἀφροδίτης, τοτὲ δὲ πολλὰ καὶ πολέμιον αὐτὸ ἑαυτῷ διὰ νεῖκός τι.* Consentire significat Heraclitum et Empedoclem, quatenus uterque Eleatico *ἑνὶ καὶ παντὶ* opponat ἓν, quod motu mutationeque in multa, *πολλά*, distrahatur. Quæ, qui meminerit in philosophia græca notiones unitatis et multitudinis idem valere ac notiones quietis et motus, significare eadem perspiciet: utrumque Eleaticæ *στάσει* opposuisse

1) *Ἐκ δὲ δὴ φορᾶς τε καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάντα ἃ δή φαμεν εἶναι οὐκ ὀρθῶς προσαγορεύοντες· ἔστι μὲν γὰρ οὐδέποτ᾽ οὐδέν, ἀεὶ δὲ γίγνεται. καὶ περὶ τούτου πάντες ἑξῆς οἱ σοφοὶ πλὴν Παρμενίδου ξυμφέρεσθον, Πρωταγόρας τε καὶ Ἡράκλειτος καὶ Ἐμπεδοκλῆς . . . . κτλ.*

2) Siculum fuisse Empedoclem significat Plato Musam Empedocleam appellando »Siculam» Soph. 242.

»φοράν τε καὶ κίνησιν καὶ κρᾶσιν πρὸς ἄλληλα [1]). Differre autem dicuntur inter se, quod Empedocles rigido illo Heracliti ἀεὶ remisso posuerit ἐν μέρει, neque æternum, nulla quiete interruptum esse motum docuerit. Heracliti motus æternum *διαφέρεσθαι* est, quod idem est æternum *ξυμφέρεσθαι: simul* sunt momenta viæque motus: unum et multa ita copulata sunt, ut ὂν κινούμενον illud momento distractionis *semper*, ἀεί, in multa distrahatur, idemque contractionis momento ad unitatem reducatur. Empedocles vero ἀεὶ illud missum facit: unum et multa ita copulat, ut, disiunctis Heracliteis motus momentis suum cuique tribuat *tempus*, velitque *διαφέρεσθαι* suo tempore dominari vicissimque *ξυμφέρεσθαι:* Heracliti ἀεὶ immutat in τοτὲ μέν, τοτὲ δέ: motum æternum in æternam unitatis et multitudinis, quietis et motus vicissitudinem refingit. Nunc unum est universum quiescitque concors »sibique ipsum amicum» — nunc in multitudinem distractum, discors sibique inimicum motu mutationeque turbatur. — Hoc quoque Empedocli proprium fuisse Plato l. c. commemorat, ut Amorem et Discordiam esse causas vicissitudinis rerum vellet — quum Heraclitus nullam adhibuisset æternæ κινήσεως causam effectricem.

Empedoclis rationem si quis ex hoc loco uno eruere conatus erit, pantheisticam — vocabulo iam recepto uti liceat — fuisse sibi persuadebit, Empedoclemque voluisse τὸ πᾶν vicissitudine æterna unitatis quietisque et motus multitudinisque variare et Amorem Discordiamque, effectrices illas vires, esse modos et momenta unius causæ principiique universo inhærentis. Quum enim Aristotelis habeamus testimonia ipsiusque philosophi quæ supersunt frag-

---

1) Theæt. 152 E.

menta, non defuerunt, qui talem de Empedoclis doctrina sententiam professi sint. Karsten enim — cuius verba e Zelleri Phil. d. Griech. I. p. 700 n. 5 affero — hoc modo disputat: »si vero his involucris Empedoclis rationem exuamus, sententia huc fere redit: *unam* esse vim, eamque divinam, mundum continentem; hanc per quatuor elementa quasi Dei membra, ut ipse ea appellat, sparsam esse, eamque cerni potissimum in duplici actione, distractione et contractione, quarum hanc coniunctionis, ordinis, omnis denique boni, illam pugnæ, perturbationis omnisque mali principium esse: harum mutua vi et ordinem mundi et mutationes effici, omnesque res tam divinas quam humanas perpetuo generari, ali, variari.» Videmus Karstenio pantheistam fuisse Empedoclem videri, docuisseque unum esse *τὸ πᾶν*, cui una inhæreret vis, distractionis et contractionis momentis agens movensque. Eandem igitur vult Empedoclem rationem esse professum, quam Plato loco, quem attulimus, ei tribuere videtur: Heracliteam, ita mutatam, ut *ἀεὶ* in *ἐν μέρει* relictum sit, utque distractionis et contractionis momenta, alterum *post* alterum posita, invicem dominentur.

At ipse habet Plato locum, quo monet, ne talem fuisse Empedoclis rationem putemus: Soph. 252 B: *καὶ μὴν καὶ ὅσοι τοτὲ μὲν ξυντιθέασι τὰ πάντα, τοτὲ δὲ διαιροῦσιν, εἴτε εἰς ἓν καὶ ἐξ ἑνὸς ἄπειρα, εἴτε εἰς πέρας ἔχοντα στοιχεῖα διαιρούμενοι καὶ ἐκ τούτων συντιθέντες, ὁμοίως μὲν ἐὰν ἐν μέρει τοῦτο τιθῶσι γιγνόμενον, ὁμοίως δὲ καὶ ἐὰν ἀεί ..... κτλ.* Heraclito opponit Empedoclem. Hoc quoque loco dicuntur eo differre, quod hic *διαιρεῖσθαι* et *συντίθεσθαι* invicem — *ἐν μέρει* — dominari velit, ille æternum *διαιρούμενον συντίθεσθαι* profiteatur: *διαφερόμενον ἀεὶ ξυμφέρεται.* Sed *hoc* quoque differre commemorat Plato, quod

Heraclitus ex una natura unoque elemento omnem provenire multitudinem velit rursusque in unam illam naturam solvi. Empedocles variam universi multitudinem e certo ac definito elementorum numero nasci et in eadem rursus solvi. Quam doctrinam apparet pantheismo prorsus contrariam esse. Immutabilia enim *στοιχεῖα* — *numero* certa et definita — fragili mundi et caducæ varietati substrata esse Empedocles docet — non *unam* esse naturam, qua rerum varietas oriatur. Quibus elementis distractis dissolutisque nascentia nasci. Nullam igitur videmus unitatem pantheisticam, in modorum momentorumque *τροπῶν* — multitudinem distractam semper eandemque rursus in se coactam: numero enim certa et definita rerum principia esse dicuntur, modo separata et in se quiescentia, modo composita et inter se copulata. — In qua locorum, quibus solis de tota Empedoclis ratione agit, discrepantia, num Plato erraverit, quæritur, sibique ipse minus constiterit? Ipsius vero Empedoclis fragmentis in medium prolatis tantum abesse efficiemus, ut Plato inconstantiam Empedocli affinxerit, ut veram eius et genuinam rationem quam verissime expresserit significando totam sibi ipsam discrepare minusque sibi constare.

Numero certa esse et definita elementa ipse dicit Empedocles fr. 59 sqq:

τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε,
πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖαν ἰδ' αἰθέρος ἄπλετον ὕψος·
ἐκ γὰρ τῶν ὅσα τ' ἦν ὅσα τ' ἔσσεται ὅσσα τ' ἔασιν.

Et fr. 159 sqq:

τέσσαρα γὰρ πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἔασι·
Ζεὺς ἀργὴς Ἥρη τε φερέσβιος ἠδ' Ἀϊδωνεύς
Νῆστις θ' ἣ δακρύων τέγγει κρούνωμα βρότειον.

Aristoteles quidem aperte dicit Empedoclem voluisse elementa illa æterna esse et immutabilia rerum principia. Velut Metaph. I. 3 *Ἐμπεδοκλῆς δὲ τὰ τέτταρα — πρὸς τοῖς εἰρημένοις γῆν προσθεὶς τέταρτον — ταῦτα γὰρ ἀεὶ διαμένειν καὶ οὐ γίγνεσθαι ἀλλ' ἢ πλήθει καὶ ὀλιγότητι συγκρινόμενα καὶ διακρινόμενα εἰς ἕν τε καὶ ἐξ ἑνός.* Et Metaph. II. 4 .... *οὐ γὰρ τὰ μὲν φθαρτὰ, τὰ δὲ ἄφθαρτα ποιεῖ τῶν ὄντων, ἀλλὰ πάντα φθαρτὰ πλὴν τῶν στοιχείων.* Et Met. II. 3: *ἔτι δὲ τῶν σωμάτων καὶ οἱ πλείω λέγοντες εἶναι στοιχεῖα καὶ οἱ ἕν, ἐξ ὧν σύγκειται καὶ ἐξ ὧν συνέστηκεν, ἀρχὰς λέγουσιν εἶναι, οἷον Ἐμπεδοκλῆς πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ μετὰ τούτων στοιχεῖά φησιν εἶναι, ἐξ ὧν ἔστι τὰ ὄντα ἐνυπαρχόντων .... κτλ.* Corporalibus illis elementis dicit eum duas vires effectrices subiunxisse, quas, mythorum involucris velatas, ad rerum corporalium similitudinem cogitaret, cfr ipsius fr. 79 sqq:

πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖα ἰδ' αἰθέρος ἤπιον ὕψος,
Νεῖκός τ' οὐλόμενον δίχα τῶν, ἀτάλαντον ἑκάστῳ,
καὶ Φιλότης μετὰ τοῖσιν, ἴση μῆκός τε πλάτος τε ....

Quæ sunt, sex illa principia sunt: quibus inter se compositis multitudo rerum et varietas nascitur, cfr fr. 98 sqq:

..... *φύσις οὐδενός ἐστιν ἁπάντων,*

....

ἀλλὰ μόνον μῖξίς τε διάλλαξίς τε μιγέντων.

Sed huic de quatuor elementis immutabilibus et duabus viribus effectricibus decreto subiuncta est alia quædam opinio: doctrinam dico de universo æterna pacis, unitatis, quietis et discordiæ, multitudinis, motus vicissitudine variato: de unitate suis ac certis temporibus multitudinem omnem devorante. Velut fr. 63 sqq:

δίπλ' ἐρέω· τοτὲ μὲν γὰρ ἓν ηὐξήθη μόνον εἶναι
ἐκ πλεόνων, τοτὲ δ' αὖ διέφυ πλέον' ἐξ ἑνὸς εἶναι

. . . .

καὶ ταῦτ' ἀλλάσσοντα διαμπερὲς οὐδαμὰ λήγει,
ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα,
ἄλλοτε δ' αὖ δίχ' ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.

Alio igitur tempore nihil est nisi unum, alio tempore unum illud in multa distrahitur. Unum unitasque est »*σφαῖρος*« ille »beatus« [1]), quem describit Empedocles fr. 168 et 176:

σφαῖρος κυκλοτερὴς μονίῃ περιήγεϊ γαίων.

Empedoclem, statum illum conditionemque immotæ quietis, perfectæ unitatis, beatæ pacis intuentem, »radices« — *ῥιζώματα* — illos evulsos tolli et in unitatem pacis quietisque reduci sinere, argumento sunt fr. 77 sqq:

. . . . *τοτὲ μὲν γὰρ ἓν ηὐξήθη μόνον εἶναι*

cet. quæ iam attulimus. E sphæræ unitate elementa et vires effectrices proveniunt, in eandem soluta reducuntur.

Quo tandem modó decreta inter se opposita coniungamus? perfectæ et absolutæ unitatis doctrina quomodo cum doctrina quatuor — vel sex — principiorum æternorum immutabiliumque conveniat? pantheismum qua ratione cum »polyontismo« consociabimus? At non id nobis propositum est, ut constantiam Empedocli affingamus, quum ipse non perspexerit sibi ipsum haud constare: satis est commemorare eum sibi non constitisse. Quæ quum ita essent, Aristoteles summo iure Empedoclem vituperavit, quod dubium esset, sphæramne — *τὸ ἕν* — an quatuor elementa esse principium rerum et initium ei placuisset [2]).

---

1) Cfr Parmenideum *σφαίρης ὄγκος.*

2) Aristot. De Generatione et Corruptione I. 1: *Ἐμπεδοκλῆς μὲν οὖν ἔοικεν ἐναντία λέγειν καὶ πρὸς τὰ φαινόμενα καὶ πρὸς αὐτὸν αὐτός . . . . Διόπερ καὶ τότε ἐξ ἑνὸς ἐγεννήθησαν· οὐ γὰρ δὴ πῦρ γε καὶ γῆ καὶ ὕδωρ ἔτι ὄντα ἓν ἦν τὸ πᾶν. Ἄδηλον δὲ καὶ πότερον ἀρχὴν*

– Empedoclem inconstantiæ sibi non conscium fuisse, omnibus, credo, apparet. Neque dubium est, quin pantheismus ille poëticus magna ex parte religione natus sit.

Plato rationem Empedocleam sibi ipsam discrepare, quum significet, aperte nusquam commemorat. Perspexisse tamen eum, minus subtilem minusque elegantem esse Empedoclem, argumento sunt, quæ de Empedoclea Musa dicuntur. *Μαλακώτεραι* enim esse Siculæ Musæ dicuntur quam Ionicæ, quas *συντονωτέρας*, severiores, appellat Plato — eo scilicet consilio, ut Empedoclem significet fuisse Heraclito minus subtilem. Nam eo ipso Empedocles suum in philosophia locum obtinere Platoni videtur, quod inter *κινήσεως* philosophos sit. Quod vero minus constanter motus doctrinam explicaverit — severo Heracliti et inexorabili *ἀεὶ* remisso et in *τοτὲ μὲν* — *τοτὲ δὲ* mutato — Plato non eum, sed Heraclitum alteram partem doctrinamque, quæ in ipsius disciplinæ unitatem reducenda sit, defendentem in dialogis inducit. Quæ quum ita sint, nemo, quod Empedoclis rationem minus sæpe commemorat, mirabitur.

Singula Empedocleæ rationis Plato non persequitur. Unum tamen commemorat decretum. Scribit enim Empedoclem de sensu oculorum hæc fere docuisse Menon. 76 C sqq: *ΣΩ. βούλει οὖν σοι κατὰ Γοργίαν ἀποκρίνωμαι, ᾗ ἂν σὺ μάλιστα ἀκολουθήσαις; ΜΕ. βούλομαι· πῶς γὰρ οὔ; ΣΩ. οὐκοῦν λέγετε ἀποῤῥοάς τινας τῶν ὄντων κατὰ Ἐμπεδοκλέα; ΜΕ. σφόδρα γε. ΣΩ. καὶ πόρους, εἰς οὓς καὶ δι' ὧν αἱ ἀποῤῥοαὶ πορεύονται; ΜΕ. πάνυ γε. ΣΩ. καὶ τῶν*

αὐτῶν θετέον τὸ ἓν ἢ τὰ πολλά, λέγω δὲ πῦρ καὶ γῆν καὶ τὰ σύστοιχα τούτων. Ἡ μὲν γὰρ ὡς ὕλη ὑπόκειται, ἐξ οὗ μεταβάλλοντα διὰ τὴν κίνησιν γίνονται γῆ καὶ πῦρ, τὸ ἓν στοιχεῖον· ᾗ δὲ τοῦτο μὲν ἐκ συνθέσεως γίγνεται συνιόντων ἐκείνων, ἐκεῖνα δ' ἐκ διαλύσεως, στοιχειωδέστερα ἐκεῖνα καὶ πρότερα τὴν φύσιν.

ἀποῤῥοῶν τὰς μὲν ἁρμόττειν ἐνίοις τῶν πόρων, τὰς δὲ ἐλάττους ἢ μείζους εἶναι; ΜΕ. ἔστι ταῦτα. ΣΩ. οὐκοῦν καὶ ὄψιν καλεῖς τι; ΜΕ. ἔγωγε. ΣΩ. ἐκ τούτων δὴ ξύνες ὅ τοι λέγω, ἔφη Πίνδαρος· ἔστι γὰρ χρόα ἀποῤῥοὴ σχημάτων ὄψει σύμμετρος καὶ αἰσθητός. ΜΕ. ἄριστά μοι δοκεῖς, ὦ Σώκρατες, ταύτην τὴν ἀπόκρισιν εἰρηκέναι. ΣΩ. ἴσως γάρ σοι κατὰ συνήθειαν εἴρηται· καὶ ἅμα, οἶμαι, ἐννοεῖς, ὅτι ἔχοις ἂν ἐξ αὐτῆς εἰπεῖν καὶ φωνήν, ὅ ἐστι, καὶ ὀσμὴν καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν τοιούτων. ΜΕ. πάνυ μὲν οὖν. ΣΩ. τραγικὴ γάρ ἐστιν, ὦ Μένων, ἡ ἀπόκρισις, ὥστε ἀρέσκει σοι μᾶλλον ἢ ἡ περὶ τοῦ σχήματος. Voluit igitur Empedocles e corpore, quod cerneretur, particulas quasdam – ἀποῤῥοάς – emanare et in foramina oculi penetrare. Statuisse Empedoclem, omnia esse perforata eiusmodi foraminibus, quæ particulas undique effluentes in se reciperent, notum est. Ipse hæc fr. 337:

γνῶθ' ὅτι πάντων εἰσὶν ἀποῤῥοαί, ὅσσ' ἐγένοντο

et fr. 343—367 [1]). Socrates: eodem, inquit, modo ceteri

1) Empedoclem in *oculorum* sensu *duplicem ἀποῤῥοήν* statuisse Plato non commemorat. Aristoteles vero de Sensu c. 2: ἐκείνως δ' αὐτὸς αὑτὸν ὁρᾷ ὁ ὀφθαλμός, ὥσπερ καὶ ἐν τῇ ἀνακλάσει, ἐπεὶ εἴ γε πῦρ ἦν, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς φησι καὶ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται, καὶ συνέβαινε τὸ ὁρᾶν ἐξιόντος ὥσπερ ἐκ λαμπτῆρος τοῦ φωτός, διὰ τί οὐ καὶ ἐν τῷ σκότει ἑώρα ἂν ἡ ὄψις; — Ἐμπεδοκλῆς δ' ἔοικε νομίζοντι ὁτὲ μὲν ἐξιόντος τοῦ φωτός, ὥσπερ εἴρηται πρότερον, βλέπειν· λέγει γοῦν οὕτως·

ὡς δ' ὅτε τις πρόοδον νοέων ὡπλίσσατο λύχνον,
χειμερίην διὰ νύκτα πυρὸς σέλας αἰθομένοιο,
ἅψας παντοίων ἀνέμων λαμπτῆρας ἀμοργούς,
οἵτ' ἀνέμων μὲν πνεῦμα διασκιδνᾶσιν ἀέντων,
φῶς δ' ἔξω διαθρῶσκον, ὅσον ταναώτερον ἦεν,
λάμπεσκεν κατὰ βηλὸν ἀτειρέσιν ἀκτίνεσσιν·
ὣς δὲ τό τ' ἐν μήνιγξιν ἐεργμένον ὠγύγιον πῦρ
λεπτῇσιν ὀθόνῃσι λοχάζετο κύκλοπα κούρῃ·
αἱ δ' ὕδατος μὲν βένθος ἀπέστεγον ἀμφινάοντος,
πῦρ δ' ἔξω διαθρῶσκον, ὅσον ταναώτερον ἦεν

ὁτὲ μὲν οὖν οὕτως ὁρᾶν φησιν, ὁτὲ δὲ ταῖς ἀποῤῥοίαις ταῖς ἀπὸ τῶν ὁρωμένων.

sensus efficiuntur: nascuntur enim omnes penetrantibus *ἀποῤῥοαῖς* illis e re manantibus per foramina corporis sentientis.

Respexeritne Plato rationem Empedoclis Gorg. 510 B. Lysid. 214 B. Leg. 757 A aliisque locis, ubi de rerum similium affinitate disputatur, incertum est [1]). Quæ enim Gorg. 510 B — quo utor exemplo — dicuntur: *φίλος μοι δοκεῖ ἕκαστος ἑκάστῳ εἶναι, ὡς οἷόν τε μάλιστα, ὥσπερ οἱ παλαιοί τε καὶ σοφοὶ λέγουσιν, ὁ ὅμοιος τῷ ὁμοίῳ* — simpliciora sunt, quam quæ ad philosophiæ decreta referre necesse sit.

Veri simile est Empedoclis rationem respici Phædon. 96 B: . . . . *πότερον τὸ αἷμά ἐστιν, ᾧ φρονοῦμεν* . . . . Voluit enim Empedocles sanguinem cordi circumfusum mentis esse sedem [2]).

Num locis obscuris, quibus mysticam Orphicorum et Pythagoreorum philosophiam tractat, Empedoclem quoque respexerit Plato [3]), diiudicare haud ausim.

---

1) Cfr Empedocl. fr 378 sqq.

2) Cfr fr. 372 sqq:
αἵματος ἐν πελάγεσσι τεθραμμένη ἀντιθροοῦντος,
τῇ τε νόημα μάλιστα κυκλίσκεται ἀνθρώποισιν·
αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.

3) Velut Gorg. 493.

Anaxagoram Clazomenis natum esse Plato commemorat [1]. Dicitur cum Pericle familiarissime vixisse [2]. [3].

Constat Anaxagoram voluisse, antequam mundus ordinatus fuisset et perfectus — *κόσμος* — fuisse chaos: indigestam rerum molem, in qua »simul» essent omnia omnium rerum semina, *σπέρματα τῶν πάντων*, nondum in ordinati mundi perfectionem disposita. Ipse enim fr. 1: »*ὁμοῦ* — inquit — *πάντα χρήματα ἦν, ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα· καὶ γὰρ τὸ σμικρὸν ἄπειρον ἦν. καὶ πάντων ὁμοῦ ἐόντων οὐδὲν ἔνδηλον ἦν ὑπὸ σμικρότητος .... κτλ.* Cfr fr. 3, 4, 5, 16. Rudem illam molem infinitam Plato sæpe respicit: velut Gorg. 465 D: *τὸ τοῦ Ἀναξαγόρου ἂν πολὺ ἦν, ὦ φίλε Πῶλε· σὺ γὰρ τούτων ἔμπειρος — ὁμοῦ ἂν πάντα χρήματα ἐφύρετο ἐν τῷ αὐτῷ ....* Phædon. 72 C: *κἂν εἰ συγκρίνοιτο μὲν πάντα, διακρίνοιτο δὲ μή, ταχὺ ἂν τὸ τοῦ Ἀναξαγόρου γεγονὸς εἴη· ὁμοῦ πάντα χρήματα* [4]. Nihil vero commemorat nisi hoc ipsum: fuisse ante mundum dispositum et ordinatum eiusmodi chaos: fuisse »simul omnia»: qualia fuerint *χρήματα* illa, nullo verbo indicat neque, quantum differat inter semina Anaxagorea, quæ, genere certa et definita, multitudine et

---

1) Apol. 26 D.

2) Phædr. 269 E sq: *ΣΩ. κινδυνεύει, ὦ ἄριστε, εἰκότως ὁ Περικλῆς πάντων τελεώτατος εἰς τὴν ῥητορικὴν γενέσθαι. ΦΑΙ. τί δή; ΣΩ. πᾶσαι, ὅσαι μεγάλαι τῶν τεχνῶν, προσδέονται ἀδολεσχίας καὶ μετεωρολογίας φύσεως πέρι· τὸ γάρ ὑψηλόνουν τοῦτο καὶ πάντῃ τελεσιουργὸν ἔοικεν ἐντεῦθέν ποθεν εἰσιέναι. ὃ καὶ Περικλῆς πρὸς τῷ εὐφυὴς εἶναι ἐκτήσατο· προσπεσὼν γάρ, οἶμαι, τοιούτῳ ὄντι Ἀναξαγόρᾳ μετεωρολογίας ἐμπλησθεὶς καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, ὧν δὴ πέρι τὸν πολὺν λόγον ἐποιεῖτο Ἀναξαγόρας, ἐντεῦθεν εἵλκυσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόσφορον αὐτῇ.* Cfr Pseudo-Plat. Alcib. I. 118 C.

3) Pseudo-Plat. Hipp. Mai. 283 A dicitur Anaxagoras rem male gessisse patrimoniumque negligentia perdidisse.

4) Cfr Leg. 895 A: .... *εἰ σταίη πως τὰ πάντα ὁμοῦ γενόμενα, καθάπερ οἱ πλεῖστοι τῶν τοιούτων τολμῶσι λέγειν ....*

numero in infinitum dividi possint, et »radices» Empedocli atomosque Democriti aperit. Decretum enim de *ὁμοῦ* illo — *πανσπερμείαν* Aristoteles appellat – quasi præteriens commemorat. Copiosius disputat de illo decreto, quo Anaxagoram suum in philosophia locum obtinere constat: decretum de mente dico.

Quum de Heracliti ratione ageremus, locum attulimus Cratyl. 412 C—413 D, ubi quæritur, quid sit *τὸ δίκαιον* — Heracliti more acceptum: *τὸ «διαϊὸν» καὶ αἴτιον*. Heraclitea ratione examinata Socrates pergit: *ὁ δὲ τούτων μὲν πάντων καταγελᾷν φησίν, εἶναι δὲ τὸ δίκαιον, ὃ λέγει Ἀναξαγόρας, νοῦν εἶναι τοῦτο· αὐτοκράτορα γὰρ αὐτὸν ὄντα καὶ οὐδενὶ μεμιγμένον πάντα φησὶν αὐτὸν κοσμεῖν τὰ πράγματα διὰ πάντων ἰόντα.* »Neque ignis, neque ipsa vis ignea — nulla corporalis natura, nullum elementum est »*τὸ δίκαιον καὶ αἴτιον*» i. e. id, quod omnia penetrat, omnia efficit, regit omnia et gubernat, sed *mens*, quæ ipsa per se est, quæ pura, nulla re admixta, suo iure imperat, mundum disponit, ordinat, gubernat». Paucis verbis præclare exposuit Plato rationem mentis a corporalibus rebus omnibus diversæ uniusque in omnium rerum permixtione puræ [1]). Mens mundum ordinat et disponit, *κοσμεῖ, διακοσμεῖ*, quibus verbis et ipsis Anaxagoreis utitur Plato. Gubernat universum mens: ubique et semper est mens *δίκαιον* illud et *αἴτιον*. »Rex coelorum et terræ» est *νοῦς*: Phileb. 28 CD: *πάντες γὰρ συμφωνοῦσιν οἱ σοφοί, ἑαυτοὺς ὄντως σεμνύνοντες, ὡς νοῦς ἐστὶ βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς.*

---

1) Cfr fr. Anaxag. 6: *τὰ μὲν ἄλλα παντὸς μοῖραν μετέχει, νόος δέ ἐστι ἄπειρον καὶ αὐτοκρατὲς καὶ μέμικται οὐδενὶ χρήματι, ἀλλὰ μοῦνος αὐτὸς ἐφ᾽ ἑωυτοῦ ἐστι .... Καὶ τὰ συμμισγόμενά τε καὶ ἀποκρινόμενα καὶ διακρινόμενα πάντα ἔγνω νόος· καὶ ὁκοῖα ἦν καὶ ἄσσα νῦν ἔστι καὶ ὁκοῖα ἔσται, πάντα διεκόσμησε νόος .,.. κτλ.* Cfr fr 12.

»Tenet» mundum et disponit: Cratyl. 400 A: *καὶ τὴν τῶν ἄλλων ἁπάντων φύσιν οὐ πιστεύεις Ἀναξαγόρᾳ νοῦν τε καὶ ψυχὴν εἶναι τὴν διακοσμοῦσαν καὶ ἔχουσαν*; Plato decretum de mente universum regente sæpius respicit, Anaxagoreis verbis: »*νοῦς διακοσμεῖ τὰ πάντα*» usus; velut Phileb. 28 E. Leg. 966 E locisque, quos iam attulimus. Anaxagoram dicit de mente potissimum egisse: Phædr. 269 E. 270:.... *ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, ὧν δὴ πέρι τὸν πολὺν λόγον ἐποιεῖτο Ἀναξαγόρας ... κτλ.*

Omnibus nota sunt verba, quibus Aristoteles »sobrium» appellat Anaxagoram præ ceteris temere ac nulla ratione disputantibus [1]). Eadem Anaxagoreæ rationis admiratione Socrates se fuisse permotum Phædon. 97 C fatetur. Narrat enim se, quum in veterum physicorum ratione acquiescere non potuisset, sed »methodum» illam rationemque totam deseruisset, suam ac propriam viam »temere» — *εἰκῇ* — iniisse [2]). Tum vero, quum physica ratione spreta conaretur ipse novum »*τρόπον τῆς μεθόδου*» creare, in librum Anaxagoræ incidisse. L. c: *ἀλλ᾽ ἀκούσας μέν ποτε ἐκ βιβλίου τινός, ὡς ἔφη, Ἀναξαγόρου, ἀναγιγνώσκοντος καὶ λέγοντος, ὡς ἄρα νοῦς ἐστιν ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος. ταύτῃ δὴ τῇ αἰτίᾳ ἥσθην τε καὶ ἔδοξέ μοι τρόπον τινὰ εὖ ἔχειν τὸ τὸν νοῦν εἶναι πάντων αἴτιον, καὶ ἡγησάμην, εἰ τοῦθ᾽ οὕτως ἔχει, τόν γε νοῦν κοσμοῦντα πάντα κοσμεῖν καὶ ἕκαστον τιθέναι ταύτῃ, ὅπῃ ἂν βέλτιστα ἔχῃ*· nihil igitur se esse postulaturum, nisi ut efficeretur, quod esset,

1) Metaph. 1. 3: *νοῦν δή τις εἰπὼν εἶναι, καθάπερ ἐν τοῖς ζῴοις, καὶ ἐν τῇ φύσει τὸν αἴτιον τοῦ κόσμου καὶ τῆς τάξεως πάσης, οἷον νήφων ἐφάνη παρ᾽ εἰκῇ λέγοντας τοὺς πρότερον.*

2) 97 B: .... *ὡς ἐπίσταμαι, ἔτι πείθω ἐμαυτόν, οὐδ᾽ ἄλλο οὐδὲν ἑνὶ λόγῳ, διότι γίγνεται ἢ ἀπόλλυται ἢ ἔστι κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον τῆς μεθόδου, ἀλλά τιν᾽ ἄλλον τρόπον αὐτὸς εἰκῇ φύρω, τοῦτον δὲ οὐδαμῇ προσίεμαι,*

esse idem *optimum: βέλτιον ἔχειν.* Ita, inquit, speravi Anaxagoram esse expositurum, globosane esset terra an plana, et, cur ita esset, allaturum causam: quod melius esset. Nam id sibi persuasum habebat, eum, qui mentem esse *αἰτίαν* vellet, unam posse causam proferre: quod, quæ essent, meliora essent — neque ulla causa esse usurum nisi *finali*, qui primus posuisset: *νοῦς διακοσμεῖ τὰ πάντα* [1]). Tenebat igitur Socratem maxima spes, se esse inventurum graviorem causam: causam optimi, causam finalem, qua una confidebat explicari posse, quæ ratio causarum efficientium explanare non potuisset. Arreptum igitur Anaxagoræ librum pervolutavit, ut »meliora ac deteriora» disceret [2]). Fefellit autem Socratem spes. Cognovit enim Anaxagoram de natura disputantem mente sua non uti, sed, veteres physicos secutum, ad efficientes causas et naturales recurrere. Anaxagoras, Platonem si audimus, quum mentem esse principium universi velit vimque omnia ordinantem et regentem, tum in singulis rebus explicandis sæpius a se ipso desciscit refugitque ad efficientes illas causas. Phædon. 98 B: *ἀπὸ δὴ θαυμαστῆς ἐλπίδος, ὦ ἑταῖρε, ᾠχόμην φερόμενος, ἐπειδὴ προϊὼν καὶ ἀναγιγνώσκων ὁρῶ τὸν ἄνδρα τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ ἄτοπα.* Nam quid inter *causam* et *conditionem* interesset, Anaxagoras nondum perspexisse Platoni videtur: 99 B: *τὸ γὰρ*

1) L. c. 98 A. B. *οὐ γὰρ ἄν ποτε αὐτὸν ᾤμην φάσκοντά γε ὑπὸ νοῦ αὐτὰ κεκοσμῆσθαι, ἄλλην τινὰ αὐτοῖς αἰτίαν ἐπενεγκεῖν ἢ ὅτι βέλτιστον αὐτὰ οὕτως ἔχειν ἐστίν, ὥσπερ ἔχει· ἑκάστῳ οὖν αὐτὸν ἀποδιδόντα τὴν αἰτίαν καὶ κοινῇ πᾶσι, τὸ ἑκάστῳ βέλτιστον ᾤμην καὶ τὸ κοινὸν πᾶσιν ἐπεκδιηγήσεσθαι ἀγαθόν.*

2) 98 B . . . . *πάνυ σπουδῇ λαβὼν τὰς βίβλους ὡς τάχιστα οἷός τ' ἦ ἀνεγίγνωσκον, ἵν' ὡς τάχιστα εἰδείην τὸ βέλτιστον καὶ τὸ χεῖρον.*

μὴ διελέσθαι οἷόν τ' εἶναι, ὅτι ἄλλο μέν τί ἐστι τὸ αἴτιον τῷ ὄντι, ἄλλο δὲ ἐκεῖνο, ἄνευ οὗ τὸ αἴτιον οὐκ ἄν ποτ' εἴη αἴτιον ..... κτλ. Plato atem *αἴτιον τῷ ὄντι*, veram causam, esse vult nullam nisi finalem — quam Anaxagoram numquam quæsivisse arbitratur, quum principium eius et caput, decretum mentis gubernantis, videatur ad rationem causarum finalium ducere debere. Censet igitur Anaxagoram de philosophia optime meritum esse, quod principii loco posuerit mentem. Principio autem, quod sibi paraverit, ipsum putat in singulis rebus explicandis minus uti quam veterum physicorum ratione causisque efficientibus mechanicisque, quas dicunt. Conferas velim Leg. 967 A sqq. *πᾶν, ὅπερ εἶπον, τοὐναντίον ἔχει νῦν τε καὶ ὅτε ἄψυχα αὐτὰ οἱ διανοούμενοι διενοοῦντο. θαύματα μὲν οὖν καὶ τότε ὑπεδύετο περὶ αὐτά, καὶ ὑπωπτεύετο τὸ νῦν οὕτως δεδογμένον, ὅσοι τῆς ἀκριβείας αὐτῶν ἥπτοντο, ὅπως μήποτ' ἂν ἄψυχα ὄντα οὕτως εἰς ἀκρίβειαν θαυμαστοῖς λογισμοῖς ἂν ἐχρῆτο, νοῦν μὴ κεκτημένα· καί τινες ἐτόλμων τοῦτό γε αὐτὸ παρακινδυνεύειν καὶ τότε, λέγοντες, ὡς νοῦς εἴη ὁ διακεκοσμηκὼς πάνθ' ὅσα κατ' οὐρανόν. οἱ δὲ αὐτοὶ πάλιν ἁμαρτάνοντες ψυχῆς, ὅτι πρεσβύτερον εἴη σωμάτων, διανοηθέντες δὲ ὡς νεώτερον, ἅπανθ' ὡς εἰπεῖν ἔπος ἀνέτρεψαν πάλιν, ἑαυτοὺς δὲ πολὺ μᾶλλον· τὰ γὰρ δὴ πρὸ τῶν ὀμμάτων πάντα αὐτοῖς ἐφάνη, τὰ κατ' οὐρανὸν φερόμενα, μεστὰ εἶναι λίθων καὶ γῆς καὶ πολλῶν ἄλλων ἀψύχων σωμάτων, διανεμόντων τὰς αἰτίας παντὸς τοῦ κόσμου.* Hoc quoque loco Anaxagoras vituperatur, quod, quum mentem omnia disponere et gubernare docuerit, in opiniones materialistarum, quos appellant, »mentem corpore posteriorem» putantium, semper relabatur neque mentis corpore prioris doctrinam teneat, sed lapides loquatur et terram mentique, quas ipse tribuerit partes, rursus auferat. — Aristotelem idem de

ratione Anaxagoræ sentire notum est [1]). Neque, quin iure ita senserit, dubium est. Anaxagoras mentem principii movendi, *μηχανῆς*, vice fungi iubet — et ita quidem, ut *νοῦς* ille mundi machinam *primo* pulsu moveat, initio *περιχωρήσεως* facto nihil curet quiescatque in pace [2]). Assentiemur igitur Platoni et Aristoteli: quum gratiam habeamus philosopho, qui mentem esse principium rerum et initium primus perspexerit, tum vero profiteri necesse est, ita eum permagno illo invento usum esse, ut *νοῦς* non esset *νοῦς* sed *μηχανὴ* quædam: neque vituperabimus veterem sapientem — cui mens visa est »res omnium subtilissima et purissima« [3]) — quod gravissimam doctrinam mentis universum ordinantis perfectam et absolutam explicare non potuerit.

Singula Anaxagoreæ rationis Plato perraro respicit. Commemorat Anaxagoram solem massam esse lapideam ardentem, lunam terrenam putasse [4]). Lunæ solem suum

---

1) Metaph. 1. 4: *Ἀναξαγόρας τε γὰρ μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιΐαν, καὶ ὅταν ἀπορήσῃ, διὰ τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστί, τότε παρέλκει αὐτόν, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτιᾶται ἢ νοῦν.*

2) Fragm. Anaxag. 6: .... *καὶ τῆς περιχωρήσιος τῆς συμπάσης νόος ἐκράτησε, ὥστε περιχωρῆσαι τὴν ἀρχήν. καὶ πρῶτον ἀπὸ τοῦ σμικροῦ ἤρξατο περιχωρῆσαι, ἔπειτε πλέον περιεχώρεε καὶ περιχωρήσει ἐπὶ πλέον .... κτλ.* Fr. 7: *ἐπεὶ ἤρξατο ὁ νόος κινέειν .... κτλ.*

3) Fr. 6: *λεπτότατόν τε πάντων χρημάτων καὶ καθαρώτατον ...*

4) Velut Apol. 26 D: *ΣΩ. οὐδὲ ἥλιον οὐδὲ σελήνην ἄρα νομίζω θεοὺς εἶναι, ὥσπερ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι; ΜΕ. μὰ Δί', ὦ ἄνδρες δικασταί, ἐπεὶ τὸν μὲν ἥλιον λίθον φησὶν εἶναι, τὴν δὲ σελήνην γῆν. ΣΩ. Ἀναξαγόρου οἴει κατηγορεῖν, ὦ φίλε Μέλητε, καὶ οὕτω καταφρονεῖς τῶνδε καὶ οἴει αὐτοὺς ἀπείρους γραμμάτων εἶναι, ὥστε οὐκ εἰδέναι, ὅτι τὰ Ἀναξαγόρου βιβλία τοῦ Κλαζομενίου γέμει τούτων τῶν λόγων ....* Leg. 886 E .... *ὅταν τεκμήρια λέγωμεν ὡς εἴσι θεοί, ταῦτα αὐτὰ προφέροντες, ἥλιόν τε καὶ σελήνην καὶ ἄστρα καὶ γῆν, ὡς θεοὺς καὶ θεῖα ὄντα, ὑπὸ τῶν σοφῶν τούτων ἀναπεπεισμένοι ἂν λέγοιεν, ὡς γῆν τε καὶ λίθους ὄντα αὐτὰ καὶ οὐδὲν τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων φροντίζειν δυνάμενα ....* Leg. 967.

fenerare lumen docuit: mittere enim, dum circumferretur, lumen in lunam [1]).

Ratio Platonica disciplinas veterum philosophorum in se complexa refingit, excultisque et emendatis suum cuique in philosophia locum tribuit. Vidimus igitur Platonem omnes respexisse — præter unam *atomistarum* doctrinam. Illam nusquam aperte commemorat: illius ne auctores quidem nominat. Coniicere licet non nullis locis Democriti eiusque familiæ doctrinam — una cum Aristippi aliorumque decretis — respici. Velut Theæt. 155 E: . . . . *οἱ οὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι ἢ οὗ ἂν δύνωνται ἀπρὶξ τοῖν χεροῖν λαβέσθαι, πράξεις δὲ καὶ γενέσεις καὶ πᾶν τὸ ἀόρατον οὐκ ἀποδεχόμενοι ὡς ἐν οὐσίας μέρει* . . . . quæque Theætetus respondet: *καὶ μὲν δὴ, ὦ Σώκρατες, σκληρούς γε λέγεις καὶ ἀντιτύπους ἀνθρώπους. ΣΩ. εἰσὶν γὰρ, ὦ παῖ, μάλ' εὖ ἄμουσοι* . . . . *κτλ.* Cfr Soph. 246 A—D, ibid. 265 C. D., quibus locis veri simile est atomistas significari. Quorum rationem Platonem contemnere apparet et abhorrere: appellat atomistas Soph. 247 »*σπαρτοὺς καὶ αὐτόχθονας*« et 248 »*γηγενεῖς*«: materialismum, qui esse neget quicquam, quin id cerni tangique possit, mentem et »*πᾶν τὸ ἀόρατον*« ignoret, infra se Plato suamque rationem esse putat: totum spernit et odit: singula doctrinæ nullo verbo significat.

---

1) Cratyl. 409 A. B: *τί δὲ ἡ σελήνη; ΣΩ. τοῦτο δὴ τὸ ὄνομα φαίνεται τὸν Ἀναξαγόραν πιέζειν. ἙΡ. τί δή; ΣΩ. ἔοικε δηλοῦντι παλαιότερον ὃ ἐκεῖνος νεωστὶ ἔλεγεν, ὅτι ἡ σελήνη ἀπὸ τοῦ ἡλίου ἔχει τὸ φῶς. ἙΡ. πῶς δή; ΣΩ. τὸ μέν που σέλας καὶ τὸ φῶς ταὐτόν; ἙΡ. ναί. ΣΩ. νέον δέ που καὶ ἔνον ἀεί ἐστι περὶ τὴν σελήνην τοῦτο τὸ φῶς, εἴπερ ἀληθῆ οἱ Ἀναξαγόρειοι λέγουσι· κύκλῳ γάρ που ἀεὶ αὐτὴν περιϊὼν νέον ἀεὶ ἐπιβάλλει, ἔνον δὲ ὑπάρχει τὸ τοῦ προτέρου μηνός.*

Locos Aristoteleos ex editione Didotiana attuli, fragmenta veterum philosophorum ex Mullachii libro, quem inscripsit: »Fragmenta Philosophorum Græcorum» T. I, II, (Biblioth. Didot.) — Non nulli loci scriptorum posteriorum, velut Plutarchi, Simplicii, ex »Historia Philosophiæ Græcæ et Romanæ», a Rittero et Prellero conscripta, allati sunt.

Locus Aristoteleos ex editione Didotiana attuli, fragmenta veterum philosophorum ex Mullachii libro, quem inscripsit: »Fragmenta Philosophorum Graecorum. T. I. II. (Biblioth. Didot.)« — Non nulli loci scriptorum posteriorum, velut Plutarchi, Simplicii, ex »Historia Philosophiae Graecae et Romanae«, a Rittero et Prellero inscripta, allati sunt.